

Digitized by Google

14
24 F
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Google

Digitized by Google

86.1.7.85
F
1

Digitized by Google

DE VITA
AC REBUS GESTIS
BEATI GREGORII
BARBADICI
S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI PATAVINI
LIBRI TRES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Antonio Nessi del. *Carlo Baroni inc.*

ROMAE MDCCLXI.
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA VATICANA
APUD FRATRES SALVIONOS

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

CLEMENTI XIII.
PONTIFICI MAXIMO.

FR. TH. AUGUSTINUS RICCHINIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
SACRI PALATII APOSTOLICI MAGISTER
F. P.

ET tua, Beatiſſime Pater, auctoritas, & praecipuum quoddam meum erga Beatum Epiſcopum, & Cardinalem GREGORIUM BARBADICUM plenum venerationis, ac pietatis ſtudium fecere, ut ejus Vitam ſanctitatis eximiae notis inſignem literarum monumentis conſignandam

Digitized by Google

ſuſciperem alacri prorſus animo, ac voluntate fortaſſe majore, quam facultate; quae ſi mihi par votis atque argumento fuiſſet, cumulate primum Tibi, deinde etiam ipſe mihi ſatisfeciſſem, nec eſſet quidquam, cur hujuſce hiſtoriae vel Te auctorem, vel me ſcriptorem fuiſſe poeniteret. Nunc quantum ingenii & artis ad ſcribendum attulerim neſcio: praeſtiti tamen, quod in me fuit, ut Epiſcopi, & Cardinalis ſanctiſſimi imago aliqua latinis adumbrata coloribus exterarum praecipue gentium hominibus, & ſacris Eccleſiae Paſtoribus propoſita eſſet, cum ad venerationem, & cultum, tum ad imitationem, & exemplum. Cujus ego imaginis prima ipſa lineamenta quum ducerem, Tu mihi animo obverſabaris, Tu ſcribenti occurrebas identidem, & quibus Barbadici effigiem exprimebam coloribus, Te ipſum delineare videbar; tanta mihi in utroque apparebat vitae, morum, actionumque ſimi-

ſimilitudo & conſenſio. Neque vero ad aſſentationem, & gratiam hoc a me dictum putabit, qui utriuſque vitae rationem, inſtituta, conſilia, munera, caſus quoque ipſos inter ſe componere, atque conferre voluerit. Quorum ego comparationem libenter hoc loco inſtituiſſem, ſi in ampliſſimum laudum tuarum campum excurrere te invito, ac repugnante liceret. Sed conſideranti non quid de Te dici, ac praedicari oporteat, ſed quid modeſtiae tuae ſeveritas ferre poſſit, ac velit, multa mihi ſupprimenda, vel praecidenda ſunt, pauca vero vix indicanda, quae cum in ore, conſpectuque omnium ſint poſita, praeteriri, ac reticeri omnino non poſſunt. De Patavino loquor Epiſcopatu, in quem non multis a Gregorii obitu annis divino provectus conſilio, cum ipſum, & Carolum Borromaeum ad imitandum tibi propoſuiſſes, relicta ab eodem Gregorio paſtoralis adminiſtrationis, regendaeque

Eccleſiae documenta, & exempla tanta es contentione aemulatus, ut ejus expreſſiſſe mores, & indolem, ſenſus quoque ipſos, & ſpiritum quodammodo hauſiſſe videreris. Quo enim ille divini honoris aſſerendi, promovendique zelo, quo animarum ſalutis procurandae aſſiduo, flagrantique ſtudio agebatur, eo incenſus, animatuſque cum eſſes, cogitationes, & curas in id omnes contuliſti, ut religionis, ac pietatis officia, ſacrorum cultum, cleri, populique diſciplinam, chriſtianae catecheſis frequentiam, bonarum artium, literarumque ſtudia, Seminarii incrementa, Eccleſiae demum tibi commiſſae ſanctitatem, jura, dignitatemque reſtitueres, foveres, amplificares. Nihil proinde eorum, quae optimo abſolutoque Paſtori tam multa, tamque gravia curanda ſunt, a Te praetermiſſum; nullum induſtriae, vigilantiae, ac laboris genus fuit, quo Te in gregis ſalutem, & commoda ſemper intentum paſtoralis ſolicitudo non exerceret.

Sed

Sed quae Gregorii nomen, & famam cum primis illuſtravit, & auxit profuſa in egenos, & pauperes liberalitas, ac munificentia, ea non tam virtus, quam natura tua eſſe viſa eſt, quippe quae tecum ab infantia crevit, in perfectam deinde charitatem adulta, e Patavina in Apoſtolicam Sedem tecum conſcendit, in qua pauperum Pater, ac miſerorum perfugium omnium ore praedicaris. Etſi autem ad ſupremam hanc ſacerdotii, regnique majeſtatem ea omnia, quae in Te ſunt eximia, ac praeclara viam paraverint, atque munierint, ego tamen ſic exiſtimo, plurimum quoque precibus apud Deum ſuis Barbadicum egiſſe, ut quod ipſe, dum viveret, detrectavit, ac fugit ſummum ſacrorum imperium, id tibi vel invito, ac repugnanti admirabili divinae voluntatis conſilio deferretur. Praeclare ſcilicet actum iri cum univerſa chriſtiana republica Te Pontifice intelligebat; tum illud certo ſibi pollicebatur

fore,

fore, ut qui in Patavina ſede virtutum ſuarum cultor, atque aemulator ſtudioſiſſimus fueras, earumdem in Apoſtolica cathedra judex aequiſſimus fores, ac de illis ritu, inſtitutoque Eccleſiae aliquando cognoſceres, ac pronunciares.

Itaque cum a Te ſuſcepta jampridem, atque non exiguis curis, ac ſumtibus diu promota ejuſdem Canonizationis cauſa, optatum nunc demum ad exitum feliciter perducta ſit, & quae tua eſt ſapientia, & auctoritas, ore illo, quo Deus O. M. veritatem, voluntatemque ſuam Eccleſiae declarat, Cardinalem ſanctiſſimum Beatorum faſtis adjunxeris, eumdem ego in hac publica bonorum omnium gratulatione, ac laetitia videre videor ab immortalibus, ac feliciſſimis Caeli ſedibus decretum ſibi in terris honorem, & cultum tibi uni ſecundum Deum grati animi ſenſibus acceptum referre: tum ſummis ab eo precibus flagitare, & contendere, ut in hoc

arduo,

arduo, ac ſalebroſo Eccleſiae univerſae regimine fauſtiſſima Tibi omnia, ac ſecunda procedant; quod pro votis, atque ea qua plurimum valet gratia, facile impetraturum confido.

Jam illud reliquum eſt, Beatiſſime Pater, ut hanc vitae ipſius hiſtoriam, officii, atque obedientiae erga Te meae qualecumque argumentum, quo ſoles cetera ad Barbadici nomen, ac decus ſpectantia, aequo, clementique animo excipias, ac nomini, majeſtatique tuae ne dedigneris oblatam. Quam ſi judicio quoque tuo probaveris, id a me in ampliſſimi honoris, ac praemii loco ponetur, & reliqua tua, quibus auctum, honeſtatumque me voluiſti, munera, ac beneficia cumulabit. Quando autem iis parem neque referre gratiam, nec praedicare valeo, Deum immortalem, quod hactenus feci, rogare, obteſtarique pergam, ut Te Apoſtolicae Sedis dignitati, religionis praeſidio, rei chriſtianae

incremento, meliorum denique temporum felicitati quam diutiſſime ſervet, ac tueatur.



PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Pertinere arbitror ad Italici nominis decus, ad Apoſtolici Senatus, atque Epiſcopalis Ordinis ſplendorem, & gloriam, nec non ad chriſtianae Reipublicae utilitatem B. GREGORII BARBADICI *Epiſcopi, & Cardinalis ſanctiſſimi res praeclare geſtas latinis literis conſignari, quo tanti viri memoria communis ſermonis ope longe, lateque propagetur. Ejus enim, qui noſtra fere aetate veterum florentis Eccleſiae Paſtorum renovavit exempla, & Caroli in primis Borromaei Mediolanenſium Archiepiſcopi vivam adeo, abſolutamque in ſeipſo expreſſit imaginem, ut adhuc vivens alter* CAROLUS *vulgo, nec immerito praedicaretur, nominis, meritorumque famam Italiae finibus circumſcribi minime decebat, curandumque maxime fuerat, ut ad exteras quoque gentes proferretur, quo eſſet omnibus admirationi, & exemplo. Habent quippe illuſtrium virorum, qui nobiſcum vixere, vel ad noſtra proxime tempora floruerunt, mores, & facta vim neſcio, quam ſingularem ad aemulationem ſui excitandam, iiſque ad virtutem capeſſendam vehementius affici plerumque ſolemus, quam veterum, qui longe nos praeceſſerunt, exemplis. Ac* GREGORII *quidem* BARBADICI *vita iis abundat in omni virtutis genere documentis, quae cuilibet propoſita ad chriſtianae diſciplinae perfectionem, multa*

pietatis ac ſalutis incitamenta, & ſubſidia poſſint afferre. Sed Epiſcopi in primis, animarumque Rectores egregiam, abſolutamque in eo habent, quam in mores ſuos transferant, Paſtoris optimi formam, quam ſi diligenter inſpicere, ad eamque ſe fingere, atque componere velint, (velle autem omnes debent) regendi tuendique commiſſi ſibi chriſtiani gregis, ac difficillimi muneris ſanctiſſime obeundi, perficiendique conſilia, documenta, atque exempla percipient.

Hujus ego Paſtoris eximii vitam molliore hoc noſtro raram admodum ſeculo, non equidem ſponte mea, ſed ſupremae auctoritatis nutu, atque obtemperandi magis, quam placendi ſtudio ſcribere inſtituens, id quod hiſtorici praeſertim ſacri munus eſt praecipuum, curavi diligenter, ut quidquid afferrem legitimis certiſque documentis inniteretur. Pleraque idcirco hauſi ex Tabulario Sacrae Rituum Congregationis, Actiſque publicis in ejuſdem Beati viri Canonizationis cauſa vulgatis; pauca quaedam ex Ughellio in Italia ſacra, nonnulla ex ipſius B. GREGORII *paſtoralibus literis, & documentis uno volumine exceptis, editiſque Patavii Anno MDCLXXXX. Pervolutavi quoque omnia quae exſtant ipſius adverſaria MSS., tum ſupplices variorum Epiſtolas ad Clementem PP. XI. poſtulandae, urgendaeque illius Canonizationis cauſa conſcriptas, ac Romae vulgatas Anno MDCCXXI. Aliqua demum nobis ſuppeditavit ine-*

ditus,

ditus, atque informis de illius vita Commentarius italice ſcriptus a Joſepho Muſoco Presbytero Vicentino, qui Tridenti obiit anno MDCCLIV. die xxiii. Julii Congregationis Oratorii Praepoſitus. Is enim, quod a prima juventute in ſanctiſſimi Cardinalis ſinu educatus, complures deinde annos in ejus familia verſatus, cum viventi, tum morienti proxime haeſerit, probitatis deinde ſingularis, doctrinaeque laude claruerit, idoneus, ac multorum inſtar veritatis auctor ac teſtis habendus eſt. Itaque codicis ejuſdem ope, quem a PP. Minoribus Reformatis Tridentini Coenobii pro ſingulari eorum humanitate legendum accepimus, nonnulla ſupplevimus, quae in Actis publicis, aliiſque documentis deſiderantur. Si quid aliunde acceptum & hauſtum in medium afferemus, auctorem, locumve, unde illud depromſimus, indicabimus, ne quidpiam Lectoris fidem moretur.

His porro ſubſidiis inſtructi ad hiſtoriam vitae ſcribendam acceſſimus, non qualem curioſi fortaſſe nonnulli magis quam pii, religioſique cuperent, operum mirabilium narratione contextam (quamquam nec ea in GREGORII *vita deſiderentur) ſed quod in ſanctis viris praecipuum ſane eſt, atque admirandum, virtutum omnium exemplis, documentiſque refertam. Ego enim ſic exiſtimo, egregiae ſanctitatis laudem in eo poſitam eſſe, ut aequabili chriſtianae vitae ratione ſtatus, ac muneris quiſque ſui*

 par-

partes quam diligentiſſime impleat. Qua potiſſimum laude cum BARBADICUS *excelluerit, vitam ejus fere omnem ad certa Epiſcopalis muneris, in quo diu, ſanctiſſimeque verſatus eſt, officia, & capita revocabimus, reſque praecipuas ab eo variis temporibus geſtas unius plerumque argumenti titulo complectemur, ne repetitus de iiſdem ſermo Lectorem diſtrahat, vel obtundat. Potiora tamen, quibus inſigniores ejuſdem vitae partes, actioneſque affixae ſunt, tempora diſtinguemus, & ſingularum epochas conſignabimus. Dicendi genere utemur temperato ac perſpicuo, quod in legentium animos facile influat, & quod vehementer optamus, ita eorum mentibus exempla virtutum inſigat, ut ad ea aemulanda non alliciantur modo, ſed etiam accendantur. Id porro unum ſi conſequamur, operae, ac laboris qualiſcumque noſtri fructum non exiguum tuliſſe arbitrabimur.*

A P.

APPROBATIONES CENSORUM.

PErlegenti mihi, SSmi D. N. PAPAE CLEMENTIS XIII. mandato, Librum, cui titulus: *De vita, ac rebus geſtis Beati Gregorii Barbadici S. R. E. Cardinalis Epiſcopi Patavini Libri tres*: Auctore Rmo P. Fr. Thoma Auguſtino Ricchinio Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro: non modo nihil occurrit, quod Catholicam Fidem, & Chriſtianos mores vel minimum laedere videatur, quinimo coram objecta eſt imago pulcherrima ſanctiſſimi Cardinalis, & Epiſcopi, manu peritiſſima, vivis adeo, nitidiſque expreſſa coloribus, ut facile intuentium oculos in ſui admirationem rapere, & Eccleſiaſticis omnibus, Epiſcopis vero praeſertim incitamento eſſe poſſit ad perfectam Eccleſiaſticae diſciplinae, & paſtoralis miniſterii rationem aſſequendam. Deo igitur plurimae habendae ſunt grates, quod Romanam Eccleſiam ultimis hiſce temporibus, fulgidiſſimis chriſtianae pietatis, ſcientiae, fortitudinis, poenitentiae, caritatis, aliarumque virtutum exemplis illuſtrare voluerit, ac debitae Summo Pontifici laudes, qui relato in Beatorum album Gregorii Barbadici nomine, eas fidelibus cunctis ad imitandum propoſuerit. Quapropter utiliſſimum cenſeo librum hunc tam concinne, diligenterque elaboratum, publicis typis dari. Datum pridie nonas Quintiles anni MDCCLXI.

Thomas Emaldius SSmi D.N. Sec. Brevium ad Principes.

San-

SAnctiſs. D. N. Clementis Papae XIII. juſſu legi librum, cui titulus: *De vita, ac rebus geſtis Beati Gregorii Barbadici S. R. E. Cardinalis Epiſcopi Patavini, Libri tres*, Auctore Rmo P. Fr. Thoma Auguſtino Ricchinio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro: in quo libro nihil reperi, quod Orthodoxae Fidei ſit adverſum, vel offenſionem bonis moribus afferat. In hujus autem Commentarii ſcriptione conſtituenda non mediocrem habet laudem doctiſſimi auctoris prudentia, qui, quae B. Cardinalis, atque Epiſcopus toto laudatiſſimae ſanctiſſimaeque vitae ſuae curſu cogitaverit, dixerit, fecerit, ſummo judicio ita ſuis quaeque aptis & accommodatis locis diſpoſuit, ut inde abſolutiſſimum Epiſcopi exemplar expreſſerit, & ad imitandum primariis Paſtoribus expoſuerit. Praeterea ſedatum orationis genus, elegans, & grave; verba dilucida; ſententiae perſpicuae, & e chriſtiana diſciplina depromptae; grata narrationum brevitas; omnia ad pietatem compoſita. Itaque librum hunc publica luce digniſſimum cenſeo. Dat. iv. nonas Julii CIƆIƆCCLXI.

Michael Angelus Giacomellus SS. D. N. Clementis XIII. a Latinis Epiſtolis.

AP-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS FR. JOANNES DOMINICUS VILLAVECCHIA

Sac. Theologiae Magiſter, ac univerſi Ordinis FF. Praedicatorum humilis Vicarius, Procurator Generalis, & Servus.

CUM Opus, cui titulus: *De vita, & rebus geſtis Beati Gregorii Barbadici S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Patavini, Libri tres*, Auctore R. P. D. Magiſtro S. Palatii Apoſtolici, Fr. Thoma Auguſtino Ricchinio, Provinciae noſtrae utriuſque Lombardiae, juſſu SSmi D. N. Clementis Papae XIII. jam approbatum fuerit: Harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, facultatem, quantum in nobis eſt, eidem Auctori concedimus typis edendi praefatum Opus; Servatis de jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum &c. Datum Romae in Conventu noſtro S. Mariae ſuper Minervam die 8. Julii 1761.

Fr. Joannes Dominicus Villavecchia
Magiſter Vicarius Procurator Generalis Ordinis.

Regiſtr. pag. 40.

Fr. Angelus Rafferi Mag. & Pro-Socius.

IN-

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM
LIBRI PRIMI.

Cap. I. DE Gregorii genere, parentibus, pueritia, primaque inſtitutione. pag. 1.
Cap. II. Ejuſdem adoleſcentia, in Germaniam profectio, & clericalis vitae inſtitutio. 5.
Cap. III. Romam ab Alexandro VII. arceſſitus, honoribus, ac dignitatibus augetur. Praeficitur Tranſtyberinae Regioni lue laboranti, & Bergomenſium Epiſcopus deſignatur. 13.
Cap. IV. Bergomenſem init Epiſcopatum: ejus Eccleſiae ſtatus, atque inſtituta a novo Epiſcopo regiminis ratio. 17.
Cap. V. Remiſſam Cleri diſciplinam corrigere, & reſtituere aggreditur. 23.
Cap. VI. Ad populi mores inſtituendos catechiſmo, & concionibus pergit. 30.
Cap. VII. Urbis, ac Dioeceſis viſitationem inſtituit, & quam in ea obeunda methodum rationemque adhiberet. 37.
Cap. VIII. Pelaginorum ſectam ab Eccleſia ſua exterminat. 45.
Cap. IX. Ab Alexandro VII. S. R. E. Cardinalis creatur; Romam proficiſcitur, mox ad Eccleſiam ſuam revertens Synodum celebrat. 49.
Cap. X. A Bergomenſi Eccleſia ad Patavinam transfertur. 57.
Cap. XI. Quae primum egerit in Patavino Epiſcopatu. 61.
Cap. XII. De Clericorum Seminario aedibus amplificato, reditibus, ſcholis, aliiſque inſtitutis, ac beneficiis aucto. 67.
Cap. XIII. De adhibita in Clericis initiandis atque Eccleſiae miniſtris deſignandis cura, ac diligentia. 77.
Cap. XIV. De variis ab eo inſtitutis Congregationibus. 84.
Cap. XV. Praecipua Gregorii ſtudia ad componendos populi mores, & procurandam gregis ſalutem. 91.
Cap. XVI. De reſtituta, & aucta ſacrarum Virginum diſciplina. 98.

Cap.

Cap. XVII. De ſacris comitiis, quibus interfuit eligendi Pontificis cauſa. pag. 104.
Cap. XVIII. Ut ſe geſſerit in comitiis ab obitu Alexandri VIII. celebratis, quo Pontificatum defugeret. 109.

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. De Gregorii in Deum fide, ejuſque tuendae, ac propagandae ſtudio. 116.
Cap. II. De eximio ejus Religionis cultu. 126.
Cap. III. De ſpe, & fiducia in Deum. 136.
Cap. IV. De charitate in Deum. 143.
Cap. V. De orandi, ac contemplandi ſtudio. 149.
Cap. VI. De animarum ſalutis zelo, ac paſtorali ſolicitudine. 156.
Cap. VII. De profuſa in pauperes liberalitate. 164.
Cap. VIII. Qua fuerit in propinquos, & familiares charitate. 172.
Cap. IX. De charitate, ac beneficentia in adverſarios quoque, ac ſibi infenſos. 180.
Cap. X. Ejuſdem in omnes lenitas, ac manſuetudo. 187.
Cap. XI. In ſuis, atque Eccleſiae rebus gerendis prudentia. 193.
Cap. XII. De juſtitiae zelo. 202.
Cap. XIII. De animi conſtantia, & fortitudine. 207.
Cap. XIV. De vitae aſperitate, & caſtimonia. 213.
Cap. XV. De animi modeſtia, ac demiſſione. 221.
Cap. XVI. De Prophetiae dono, ac miraculorum gratia adhuc viventi Gregorio collatis. 228.
Cap. XVII. Qua fuerit dum viveret exiſtimatione, & fama virtutum. 236.

LIBRI TERTII.

Cap. I. Gregorii obitus, funus, & ſepultura. 248.
Cap. II. Corporis ejuſdem habitus, & forma, animi indoles, ingenium, & doctrina. 258.
Cap. III. Quae fuerit ſanctitatis ejus opinio, & fama poſt mortem. 266.
Cap. IV. Miracula quaedam Gregorii precibus poſt ejus obitum a Deo patrata. 273.
Appendix. De iis, quae hactenus in cauſa Canonizationis B. Gregorii Barbadici peracta ſunt. 285.



Steph. Pozzi inv. del. — Joh. Carol. Maura sculp.

Digitized by Google



DE VITA, ET REBUS GESTIS BEATI GREGORII BARBADICI S.R.E. CARDINALIS

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Gregorii genere, parentibus, pueritia, primaque inſtitutione.

BARBADICA Gens apud Venetos patricio loco ab ultima Civitatis origine clariſſima habetur, multoſque extulit viros omni tempore magnarum rerum adminiſtratione, atque honoribus praeſtantes. Qua gente prognatus Gregorius partam a majoribus gloriam non tam amplitudine honorum, quam ſanctitatis fama, atque excellentium auxit

A ſplen-

ſplendore virtutum. Natus eſt Venetiis anno MDCXXV. vii. Kal. Octobris, Patre Johanne Franciſco Senatore, Matre vero Lucretia Leonia nobiliſſima, lectiſſimaque foemina. Hanc quum medio aetatis curſu acerba ſibi morte praereptam maritus extuliſſet, viduitatem deinceps caſtiſſime coluit. Atque ab eo tempore ſeveriori vitae diſciplinae, omnibuſque religionis, ac pietatis officiis ſe totum dedidit. Itaque poſitis ſericis veſtibus, nonniſi laneis utebatur. Horas canonicas homo ſacris non initiatus rite ac religioſe perlegebat, aeternarum rerum contemplatione, dijudicanda expiandaque conſcientia, frequentandis myſteriis, juvandis egenis, ceteriſque chriſtianae diſciplinae exercitationibus plurimum occupabatur. Et quod magno eſt fortis animi, ſolidaeque virtutis indicio, idem neque elatus rebus ſecundis, neque adverſis unquam dejectus eſt. Literarum etiam ſtudia ſequutus complures diſciplinas calluit, praeclareque in primis Philoſophiam. Tanta autem erat in eo vis memoriae, ut nomina varia, eaque barbara, atque a ſermonis conſuetudine aliena plus quam centum, ut ab alio edita eſſent, ipſe extemplo memoriter reddere poſſet. Ampliſſima geſſit Reipublicae munera non ſolum integerrima fide, ſed etiam

etiam prudentia, & aequitate ſingulari. Vixit annos ſeptem & octoginta, reliquitque nominis, & virtutis ſuae memoriam immortalem.

Is itaque ſuſceptis ex conjugio liberis pie, ſancteque ad Majorum inſtituta, ad Civitatis diſciplinam, chriſtianaeque Religionis normam inſtituendis operam, & curam ſingularem impendit; cujus eximiae diligentiae fructum ex Gregorio in primis uberrimum tulit. Nam vix infantiam egreſſus, ut erat docili, & candida indole, tradita ab optimo Genitore virtutum documenta reddebat moribus ad omnem modeſtiam, pietatemque compoſitis. Ea aetate neque cum aequalibus ludere, neque pueriliter quidquam facere viſus eſt, ſed ab ineptiis, & nugis prorſus abhorrens amare ſilentium, ſolitudinem capere, ſeque ad ſe colligere ſolebat. Fuere e domeſticis, qui eum in angulis, ac penetralibus domus orantem manibus ad Coelum ſublatis, aliquando etiam vi mentis a ſenſibus abreptum ad Crucifixi, Sanctorumque imaginem aliquam haerentem invenere. Intempeſta nocte dormientibus ceteris e lecto proſiliens identidem, accenſiſque de lucerna cereis faculis, quod ſibi in cubiculo altariolum ſtruxerat, ornare, tum jugi oratione defixus diu ante ipſum perſtare ſolebat.

Templa in primis libentiſſime adibat, ac nulla taedii, vel defatigationis ſignificatione, incredibili modeſtia, ac pietate horas ibi multas tranſigebat, ut ex ipſo habitu corporis animadverti poſſet, ſic eum mentem divinis rebus plenam, & occupatam habere, ut aliarum rerum cogitatione ne tentari quidem videretur; quibus ſane indiciis ſuſcipiendo ſacrorum cultui, atque ineundae religioſae vitae rationi non obſcure praeludere videbatur.

Ita porro inſtitutae ad religionem indoli addebatur ingenium natura promptum, judicium acre, memoria tenax ſtatim arripiens, ac diu ſervans, quae tradebantur; nec illi defuit paterna ſolicitudo, quo primis artibus, ac diſciplinis imbueretur, quarum ſtudio non celeriter minus, quam diligenter perfunctum, Pater ipſe Philoſophia inſtituendum ſuſcepit, neque exiguum tulit laboris ſui fructum. Nam celeri in iis ſtudiis, ac diſciplinis progreſſu paternae diligentiae Filius ita reſpondit, ut brevi inſtitutori ſuo par videri potuerit. Ea vero fuit Gregorius in eumdem Patrem obſervantia, & amore, ut ab ejus nutibus omnino penderet, ac ne adultus quidem ab ejus latere avelli poſſet. Quare ſi ruri cum eo aliquando verſaretur, ille

vero

vero in Urbem publicae, vel privatae rei cauſa ad dies aliquot evocaretur, ejus expectandi impatiens Gregorius relicto rure, atque levatione animi abjecta ad ipſum convolabat.

CAPUT II.

Ejuſdem adoleſcentia, in Germaniam profectio, & Clericalis vitae inſtitutio.

PUeritiam egreſſus, ac liberalibus ſtudiis ſatis excultus ad capeſſendam Patris exemplo, atque inſtitutione Rempublicam idoneus videbatur. Annum aetatis undeviceſimum attigerat, cum ad Monaſterienſem in Weſtphalia Conventum pacis inter Europae Principes conciliandae gratia Aloyſius Contarenus Venetorum Orator delegatus eſt. Huic cum ſe itineris comitem adjunxiſſet Gregorius, occaſionem nactus non obſcura iis Comitiis civilis, publicaeque dedit prudentiae argumenta. Nam Contarenus collatis omnibus cum eo negotiis, atque conſiliis, rerum quae ibi agebantur Commentaria Gregorio deſcribenda commiſit, quae inde ad Senatum mittebantur. Eodem porro tempore tantum operae poſuit in Geometria cognoſcenda, ut Euclidis libros omnes ſedulo evolverit, ac ſola ingenii ope brevi comprehen-

prehenſos habuerit. Ac quantum temporis e publicis curis, atque occupationibus decerpere poſſet, tantum ille ſtudiis, piiſque exercitationibus tribuebat. Raro pedem, niſi ſi aliqua ſacra aedes adeunda eſſet, domo efferebat. Nec tamen aliorum conſortia omnino vitabat, ſed tantam in hominum conſuetudine retinebat modeſtiam, & comitatem, ut omnium in ſe converteret oculos, & benevolentiam conciliaret. Aderat iis in Comitiis Romani Pontificis nomine Fabius Chiſius Epiſcopus Neritonenſis Apoſtolicae Sedis apud Colonienſes Legatus, qui non multo poſt Alexandri VII. nomine aſſumto univerſae praefuit Catholicorum Eccleſiae. Is Gregorii ſuaviſſimos mores, virginalem verecundiam, conſilium, prudentiam, pietatemque miratus, praeclariſſimae indolis de ſe magna pollicentis ſtudio captus, quaſi futurorum praeſcius excolendum ſibi adoleſcentem exiſtimavit, in quo eximiae ſanctitatis initia manifeſte conſpicerentur. Eum ergo ſibi familiarem eſſe voluit, ac paterno amore complexus ſalutaribus monitis ad arreptam Evangelicae perfectionis viam inflammabat ardentius, vitaeque ſanctiſſime traducendae documenta inſerebat, uberem ex tam fertili ſolo ſe frugum copiam collecturum ſperans,

rans, quod poſtea rei eventus comprobavit. Cum eo divini Officii preces quotidie ſolvebat, ac modo de ſempiternis, atque divinis, modo de literariis rebus colloquebatur; atque auctor illi hujus in primis conſilii fuit, ut in amoribus, ac deliciis haberet ſemper Franciſcum Saleſium, hunc ſibi ducem, & comitem, vitaeque magiſtrum conſtitueret, ejus opera, *Philotheam* praecipue, ſeu Manuductionem ad vitam pie, ſancteque inſtituendam aſſidua verſaret manu, ad eamque vitae ſuae rationes omnes exigeret. Itaque Gregorius ſuſcepta cum Chiſio ſumma doctrinae, pietatiſque neceſſitudine, ejus ſe diſciplinae commiſit, ut in ſpiritualis vitae progreſſu eo deinceps uteretur tamquam moderatore animarum peritiſſimo, e cujus monitis, ac praeceptis, veluti maxime idonei divinae voluntatis interpretis totus penderet. Chiſius vero quam animo ceperat de Barbadico exiſtimationem non retinuit modo, ſed auxit, & paulo poſt etiam luculentius declaravit.

Abſolutis Comitiis, & peragratis ſuperioris, atque inferioris Germaniae Provinciis Pariſios contendit, ubi quatuor fere menſes verſatus eſt. Cum autem obſequii cauſa Chriſtianiſſimum Regem ſemel, iterumque adiiſſet, tantam apud eum iniit

iniit gratiam, ut adoleſcentis modeſtiam miratus Veneto Oratori adfirmaverit viſum ſibi fuiſſe Gregorium Coenobitarum inſtituti religioſum tyrunculum. In Patriam reverſus, quo publicae adminiſtrationis auſpicia caperet, Sapientum, ut vocant, Collegio adnumeratus eſt. At verò quum magnam de ſe in Republica expectationem jam concitare coepiſſet, & apud Civitatem univerſam gratioſus admodum eſſet, expeditumque illi ad ampliſſimos honores curſum pollicerentur ingenium, prudentia, morum probitas, ac Civium gratia, novum vitae genus animo verſare coepit, atque in ea cogitatione defixus diu anceps, ac ſolicitus fuit. Nam quo terrenis curis omnibus ſolutus ſolis vacare coeleſtibus poſſet, religioſae vitae rationem ſibi ineundam putabat. Jam receſſum a ſeculo meditabatur, tutamque reſpiciebat ſtationem aliquam in religioſorum hominum coetu optimis legibus, ac ſeveriore diſciplina conſtituto. Sed nutabat animo ex tot religioſis familiis, quibus chriſtiana abundat Reſpublica, quam potiſſimum deligeret, atque complecteretur. Placebat Carmelitarum Excalceatorum diſciplina, aut Camaldulenſium Eremitarum ſolitudo, praeſertim quod utriuſque Inſtituti Profeſſoribus multo ſtudio faverat

verat Pater, opemque ſuam omnem contulerat, ut eorum Coenobia Venetiis exſtarent. Somaſchenſis quoque Congregationis actuoſa in proximos charitas hominem multis mortalibus prodeſſe cupientem ad ſe alliciebat; ac modo in unum, modo in alterum Inſtitutum ſe inclinari animo ſentiebat, nec tamen certo conſilio quodnam ſequeretur eorum adhuc videbat. Itaque ut de re tanta, ex qua univerſae vitae ratio, atque aeterna hominis ſalus pendere ſolet, prudenter decerneret, ac ne ſuo ipſius judicio ſtaret quo falli poſſet, explorata primum multis precibus divini Numinis voluntate Johannem Baptiſtam Fabri in S. Lucae Venetiis animarum Curatorem, Plebanum vocant, doctrinae, & ſanctitatis fama praeſtantem ſibi adeundum propoſuit, cujus conſilio in deliberatione capienda tamquam divino oraculo uteretur. Is autem temporis modo ad conſultandum, orandumque Deum quaeſito, paulo poſt in haec verba reſpondit: „ Eccleſiaſticam in ſeculo vitam amplecteris: Ro„ mam ibis, Epiſcopus eris: haec de te conſtituit „ Deus „. Nec diſſimile tulit reſponſum ab alio praeclari nominis religioſo viro, quem conſilii cauſa Mediolanum profectus audiendum exiſtimavit.

Per id tempus, anno videlicet MDCLII. Sacro Cardinalium Collegio adjunctus eſt Fabius Chiſius,

vir ſanctiſſimis moratus moribus, ab ingenio, doctrina, atque eruditione locupletiſſimus, & ſumma abſtinentiae, probitatis, prudentiaeque laude clariſſimus, quo Gregorius, uti ſupra demonſtratum eſt, familiariſſime uſus erat, initamque cum eo conſuetudinem literarum ſubſidio abſens retinebat. Hunc quoque non gratulationis modo, ſed conſultationis cauſa ſibi adeundum putavit, nihil ut eo inconſulto moliretur, quem jam antea audierat multa ſibi ad excolendum animum, ſempiternamque ſalutem conſequendam utilia praecipientem. Romam igitur ad eum profectus eſt, collatiſque cum ipſo de ſtatu vitae eligendae conſiliis in hanc ille ſententiam reſpondit: „ Indigere Eccleſiam praeſtantibus viris, „ qui non ſuae dumtaxat, ſed proximorum ſa- „ luti, & commodis diligenter ſervirent. Opti- „ me igitur pro ſua pietate, ac prudentia fa- „ cturum, ſi Eccleſiaſticae militiae in ſeculo no- „ men daret. Juriſprudentiae interea, atque Ec- „ cleſiaſticae hiſtoriae cognoſcendae operam im- „ penderet; tum biennio poſt ad Urbem rediret.„ Paruit amantiſſimo, atque optimo Inſtitutori ſuo Gregorius, atque omni arctioris vitae cogitatione ex animo depulſa Patavium ſe contulit, ubi legum interpretes audire ſedulo coepit, atque ut

ut erat ingenio, ac memoria facili, Theologiae, atque Hiſtoriae quoque ſacrae ſtudia cum iis accurate conjunxit.

Et quamquam lubrica eſſet aetate, atque in ea verſaretur Urbe, in qua ob variarum gentium juventutem ſtudiorum cauſa eò confluentem multa licentiae pericula poſſet offendere, ita tamen ſe continebat, ut nihil daret aetati, nihil voluptati, ſed tempus omne aut literis, aut pietatis, ac religionis officiis impenderet. Solitudinis amantiſſimus aequalium vitabat conſuetudinem, nec alios fere adibat, quam Academiae Profeſſores, aut religioſos viros, cum quibus vel de ſtudiis ſuis, vel de ſempiternis, ac ſpiritualibus rebus ageret. Conſuetudine in primis, atque inſtitutione utebatur Hieronymi Erculani Ordinis Praedicatorum Theologi, atque Scriptoris doctrina, & pietate clariſſimi, qui quum Gregorium *innocentiſsimam animam* appellare ſoleret, tum ſe multo plura ab eo didiciſſe affirmabat, quam ipſe eidem tradidiſſet.

Jam vero quam ſatis comperta divini Numinis voluntate Eccleſiaſticae vitae ineundae deliberationem ceperat, non amplius differendam, atque in aliud tempus rejiciendam, ſed maturandam omnino exiſtimavit. Die igitur v. Apri-

lis MDCLV. abjecta toga, ceteriſque ſeculi ornamentis, clericali veſte, ac tonſura a Venetorum Patriarcha initiatus dedit Chriſto, & Eccleſiae nomen, atque ex eo in quo erat ad ſpeciem edito illuſtrique loco ad humiliorem, ut hominibus videtur, & obſcuriorem vitae conditionem ſeſe demiſit. Mox vero per inferiores Ordinum gradus ad Presbyteratum aſcendit, nec multo poſt facto, ut eſt in more poſitum, publico ſtudiorum, doctrinaeque ſuae periculo, Juris utriuſque Doctoratus inſignia magna hominum gratulatione eſt conſequutus. Novum ex eo tempore hominem, novumque ſpiritum induere viſus eſt. Nam ſuſcepti Sacerdotii dignitatem ſecum ipſe reputans majoribus ad tanti muneris adminiſtrationem virtutum ornamentis ſe diligentius comparare coepit, & cogitationes, curas, operamque omnem ad ſuae, proximorumque ſalutis dumtaxat ſtudium, ad Eccleſiae commoda, ad divinae gloriae incrementum referre prorſus inſtituit.

CA-

CAPUT III.

Romam ab Alexandro VII. arceſſitus honoribus, ac dignitatibus augetur. Praeficitur Tranſtiberinae regioni lue laboranti, & Bergomenſium Epiſcopus deſignatur.

INterea Chiſius doctrinarum omnium laude, & magnae virtutis, rerumque geſtarum fama illuſtris ſumma Patrum conſenſione, atque univerſae Eccleſiae plauſu, Alexandri VII. nomine aſſumto, Pontifex Maximus inauguratus eſt. Jucundiſſimo rei nuncio laetatus quam qui maxime Barbadicus, nulla tamen fortunae melioris ſpe, nulla honorum, dignitatumque expectatione vel deſiderio illectus, atque commotus eſt. At novus Pontifex memoria repetens quae in adoleſcente ſuſpexerat virtutum ornamenta, multa ſtatim de illo a Veneto Oratore ſciſcitatus, hominem in Urbem venire juſſit. Paruit is amantiſſimo ſui Pontifici, atque ubi Romam advenit, omni benevolentiae, & amoris ſignificatione exceptus, nec dum poſito in Aula ſacra tyrocinio ampliſſimis muneribus cumulatus eſt. Nam primum Canonicus Patavinus, tum utriuſque, ut vocant, Signaturae Referendarius, ac domeſticus Praeſul renunciatus

tus eſt. Quibus honoribus auctus id curavit in primis, ne ingratus videretur in Pontificem, tum ne conceptam de ſe expectationem fruſtraretur, quam quidem non ſuſtinuit modo, ſed mox etiam exſuperavit. Nam paulo poſt graſſante per Urbem epidemica lue, ad id mali propulſandum, aut minuendum optimus Pontifex curam omnem, ac diligentiam convertit, praepoſito ſingulis Urbis Regionibus delecto Praeſule, qui publicae incolumitati conſuleret, curaretque, ne malum latius propagaretur, neve morbo laborantibus ulla deeſſent corporis, animique ſubſidia. Tranſtiberinae regioni Gregorium praefecit, ut ubi major eſſet miſerae plebis frequentia, major quoque Praefecti charitas eluceret. Grave ille, periculique plenum negotium alacriter ſuſcepit, atque incredibili cum laude ſolertiae, charitatis, & fortitudinis praeconceptae de ejus virtute opinioni cumulate reſpondit. Circumire aſſidue vias, obire aegrotantium domos, percunctari de ſingulorum ſtatu, providere ne quidpiam eorum commodo, ac curationi deeſſet, parare, atque urgere ad auxilia miniſtros, ad valetudinem pharmaca, ad victum cibaria, omnia demum humanae diligentiae officia praeſtare, atque eorum nihil omittere,
quae

quae ad miſerorum ſalutem, aut levamen pertinere animadverteret. Nec tam de humanis remediis, quam de divinis ſolicitus, quorum in publica calamitate uti eſt major neceſſitas, ita minor plerumque eſt cura, omni ope conniti, ne morbo oppreſſi Sacerdotum carerent auxilio, ac ne jam morituri ſuprema adeundae aeternitatis ſubſidia deſiderarent. Latius interea manans lethiferi morbi vis domum ipſam Gregorii pervaſit, ac duos e familiaribus ejus extinxit, magno adeoque cum vitae ipſius periculo. Ergo amicorum plerique eum non hortari modo, ſed plane urgere, ac impellere, ut inde migraret, ne alienae procurandae ſalutis ſtudio vitam ipſe ſuam in apertiſſimum diſcrimen adduceret. Is vero publica magis, quam domeſtica calamitate commotus commiſſam fidei, ac vigilantiae ſuae Regionis cuſtodiam negavit ſe deſerturum, mortem obire paratus magis, quam officio, ac miſerorum curae deeſſe: Quem igitur in calamitatis exordio praetulerat charitatis ardorem, ne ſuorum quidem funere, adſpectuque mortis remiſit, ſed in ſuſceptis charitatis officiis magno animo nihilo ſecius perſeverans eò proceſſit, ut Pontifex ipſe hominis periculo commotus eum domo pedem efferre vetuerit, atque a munere

mox

mox abductum in Tuſculanum ſecedere juſſerit, quo ſalubrioris Coeli beneficio recrearetur, fractaſque laboribus vires, & valetudinem confirmaret. Dici vix poteſt quibus tum per Urbem Barbadici charitas, providentia, magnitudo animi praeconiis efferrentur. Ita certe in ore Tranſtiberinorum verſabatur Gregorii nomen, ut diu, alteque poſterorum animis inſculptum haeſerit, ac noſtra fere aetate crebris ſermonibus, ejuſdem ſit celebrata memoria.

Sed magnam in primis gratiam his rebus conſequutus eſt apud Pontificem, qui admiratione tantae virtutis, multo majore ſtudio exarſit de eo benemerendi. Igitur cum per id tempus Bergomenſium Eccleſia Antiſtite orbata fuiſſet, dignum Alexander prae ceteris, qui ei praeficeretur, Gregorium exiſtimavit, eumque ne ſuſpicantem quidem Epiſcopum deſignavit. Luctandum tamen fuit cum hominis modeſtia, atque humilitate, qua gravem ſibi molem imponi conſiderans, animi diu pendens, & anxius fuit, an oblatum ſibi onus deſugeret, ac detrectaret. Sed ancipiti cura, dubiaque cogitatione diſtractum, cum difficilis admodum videretur tantae rei deliberatio, pervicit Alexandri praecipientis auctoritas, fecitque, ut ille recuſare, atque obniti non auderet.

Ponti-

Pontificis itaque tamquam Dei per ipſum loquentis vocem Barbadicus accipiens divinae voluntati demiſſe acquievit, atque obtemperandi ſtudio a Cardinali Bragadino die xxix. Julii anno MDCLVII. in ſacris D. Marci aedibus eximio pietatis, ac religionis ſenſu Epiſcopum ſe inungi paſſus eſt. Suſcepta manuum impoſitione arſit mira cupiditate deſponſam ſibi Eccleſiam quam ocyſſime adeundi; quare ut primum ſibi licuit, impetrata a Pontifice venia, ad Sextilem ejuſdem anni ab Urbe profectus eò ire perrexit.

CAPUT IV.

Bergomenſem init Epiſcopatum; Ejus Eccleſiae ſtatus, atque inſtituta a novo Epiſcopo regiminis ratio.

VUlgata jam hominis fama ita Bergomenſium animos occupaverat, eorumque deſiderium incenderat, ut fauſta omnia, atque felicia ſibi, & Eccleſiae ſub Gregorii cura, ac regimine pollicerentur; nec ſua illos opinione, ac ſpe falſos fuiſſe commonſtravit eventus. Ac novus quidem Epiſcopus propitiato multis, accuratiſque precibus Paſtorum Principe Jeſu Chriſto,

ſto, quo optimam regendi Gregis rationem aſſequeretur, cum veterum Eccleſiae Paſtorum, tum Sanctiſſimi in primis Mediolanenſium Antiſtitis Caroli Borromaei inſtituta, virtutes, exempla, quantum Dei ope conniti poſſet, ad imitandum ſibi propoſuit. Eumdem vero in omni paſtoralis vitae parte feliciter adeo retulit, atque expreſſit, ut non immerito alter Carolus Borromaeus vulgo appellaretur.

Suſcepta igitur vineae illius procuratione, multa ſibi juxta Prophetae monitum evellenda radicitus, ac deſtruenda, plura quoque plantanda, atque aedificanda cognovit. Nam etſi Praedeceſſorum Antiſtitum cura, ac diligentia ſanctiſſimis legibus communita, optimiſque inſtitutis, exempliſque fuiſſet exculta, ut eſt tamen humana conditio in laxiorem vivendi licentiam prona, multae in chriſtianam, atque eccleſiaſticam diſciplinam irrepſerant corruptelae, quibus Cleri, Populique mores laborantes, non ſolum ſpecie praeſentis mali, ſed etiam futuri metu, ac periculo majore ejus animum magnopere commovebant; Quae paucis ante annis Italiam fere univerſam vaſtaverat peſtis, ea Bergomenſem quoque Provinciam miſere afflixerat, ac tetram non corporibus modo, ſed ani-

animis intulerat cladem; nam lue ſublatis egregiis, optimiſque animarum curatoribus patuit exteris Sacerdotibus in Dioeceſim univerſam aditus, quorum plerique literis, ac diſciplina deſtituti, jam non Paſtores, ſed Mercenarii doctrinae inopia, moribuſque liberioribus detrimento Eccleſiae fuere magis, quam ſubſidio. Ad haec, qui paulo ante deceſſerat Aloyſius Grimanus Epiſcopus, cum ſenectutis onere preſſus, variiſque conflictatus incommodis Paſtoralia munera per ſe obire aliquandiu non potuiſſet, impedita multa, atque incompoſita, nec exiguo labore emendanda, atque in ordinem redigenda Succeſſori reliquit. Id operis, ac laboris ſubiturus Gregorius hoc ſibi propoſuit, atque conſtituit, ut quam in alios inducere vellet diſciplinae formam primum in ſe ipſo exprimeret, fore ſperans, ut praeeuntem Paſtorem oves non invitae ſequerentur. Principio igitur ſe talem exhibuit, qualem in Tito ſuo animarum Paſtorem Paulus informat, ſanctum, prudentem, ſobrium, pudicum, doctrina praeſtantem, ceteriſque inſtructum virtutibus, quae Apoſtolorum Succeſſorem plane referrent. Juge in primis orationis in eo ſtudium, rerum omnium terrenarum contemptus, dura corporis per ab-

ſtinentiam; labores, vigilias afflictatio, effuſa, & ardens in omnes charitas, manſuetudo, patientia, ſolicitudo, ac vigilantia, nec minor in adverſis, & arduis animi fortitudo, & conſtantia, mortem ipſam ubi oporteret ſubire parata. Tum ſibi ante oculos Caroli Borromaei vitam, res geſtas, ac Mediolanenſis Eccleſiae acta propoſuit, eoque praeformatore, ac magiſtro certum ſibi Epiſcopalis vitae ordinem, quem deinceps ſequeretur, praeſcripſit, eodemque familiam quoque ſuam compoſuit, ut inde manarent in ceteros diſciplinae, modeſtiae, & probitatis exempla. Domus univerſae apparatus, qui pompa careret omni, praeter eam, quae ſuſtinendae dignitati prorſus deberetur. In ſupellectili, ac veſtibus nihil ſericum, nihil pretioſum, nihil ſtudioſius elaboratum, aut exquiſitum. Argentea vaſa, atque id genus inſtrumenta pauca quidem, eaque ad divinum fere cultum ſervata. Tenuis, ac frugalis menſa uno, vel altero obſonio, eoque vulgari, ac parabili more Coenobitarum inſtructa. Pauci ad humiliores uſus famuli, paucique familiares, delecti tamen omnes, ac certo vitae teſtimonio, aut experimento probati. Diſcreta ſingulorum munera, atque aſſignatae cuique regulae, ac leges, quas libello compre-

comprehenſas vulgavit ea inſcripta fronti Bernardi ſententia *Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet boneſtas: Harum autem cuſtos eſt diſciplina*; qui contra eas faceret, domo excedere jubebatur.

Mane dato ſigno ſurgere omnes, atque in ſacellum convenire, aeternarumque rerum meditationi, ac piis cum Epiſcopo vacare precationibus. Qui Sacerdotes eſſent, hi quotidie rem divinam facere; Epiſcopo facienti laici omnes religioſe adeſſe. Hora pomeridiana lectionem de religione audire: ſub nocturnam vero quietem in eodem ſacello in diurnas conſcientiae labes taciti inquirere, Poenitentiae ſacramento frequenter expiari, ſacram vero Hoſtiam ab Epiſcopi manibus ſemel in menſe recipere.

Menſa omnibus in triclinio communis, ſacra ad ipſam lectione adhibita, qua non minus animi reficerentur, quam cibo corpora. Quarta hebdomadae Feria interdictus carnium eſus, indictum vero Feria ſexta jejunium. Noctu prodire domo permiſſum nemini. Foeminis ad Epiſcopales aedes aditus omnino praecluſus. Ut tonſurati, ac prolixis veſtibus, non tamen ſericis, clerici, ſacerdoteſque incederent, graviter ſancitum. A comeſſationibus, ludis, choreis,

ſpecta-

ſpectaculis, iiſque omnibus, quae ſeculi licentiam, oblectamenta, vanitatemve olerent, abſtinendum omnino. A muneribus caverent quam maxime, nec quidpiam cujuſvis pretii dono acciperent, qui ſtipendio Epiſcopi viverent. Ab otio demum, profanis ſermonibus, maximeque impuris, diſſidiis, obtrectatione, ceteriſque aulicorum vitiis alienos, averſoſque omnes volebat. Praefecit domui univerſæ Sacerdotem gravem probitatis, ac prudentiae laude ſpectandum, qui in familiarium geſta, dictaque diligenter inſpiceret, ſingulorum mores, atque errata notaret, ac pro tradita ſibi poteſtate corrigeret, atque emendaret. Iiſdem fere legibus ſe ipſum obſtrinxit, atque ſubjecit, utque impune ab iis, officioque ſuo nunquam deſciſceret, duos ſibi conſtituit vitae cenſores, quorum nomina typis impreſſa in tabulario epiſcopali exponi publice voluit, eoſque juſſit, quidquid reprehenſione dignum admiſiſſet ſedulo monere, quo caveret inpoſterum, ſeque vel minimis in rebus quam caſtigatiſſimum exhiberet.

CA-

CAPUT V.

Remiſſam Cleri diſciplinam corrigere, & reſtituere aggreditur.

Domo, ac familia in hunc modum compoſita, atque inſtituta ad reſtituendam, promovendamque eccleſiaſtici Ordinis diſciplinam cogitationes, & curas intendit. Vix enim fieri poſſe intelligebat, ut reliqui gregis converſio ſibi ex animi ſententia ſuccederet, quin prius ad Cleri reformationem ſeſe totum adjiceret; quod plerique degeneres Chriſtiani ſolutiorem quam agunt vitam, profligatis Clericorum moribus praetexere ſoleant, raro autem eorumdem caſte integreque viventium exemplo ad chriſtianae vitae formam provocentur. Sed ne quid temere, ac minus conſiderate adgrederetur, ab ipſo Paſtoralis adminiſtrationis exordio Clerum univerſum ſibi diligenter inſpiciendum, cognoſcendumque exiſtimavit. Curatoribus ergo animarum, tum ceteris Sacerdotibus, ac Clericis ad ſe arceſſitis, ſingulorum nomina, aetatem, domos, ſtatum exquiſivit, ingenium, ſtudia, doctrinam, & indolem diligenter

ter expendit, explorataque omnia in commentarium redegit, quo factum eſt, ut jam altero Epiſcopatus menſe nondum expleto Eccleſiaſticos ſingulos de facie noſceret, & quanti quiſque eſſet ſatis perſpectum haberet.

Jam vero multa initio ſibi diſſimulanda, aut leniter tentanda intellexit, neque ſubita quaſi vi enitendum, ut inflicta diſciplinæ vulnera curarentur, ne remediis intempeſtive adhibitis exaſperarentur magis, ac deteriora fierent. Peritos itaque medicos imitatus non acriora primum, & omnia, ſed leniora, ac ſenſim, quæ pro morbi acerbitate magis opportuna videbantur, admovit, fore ſperans, ut ſi gravioribus malis praeſentem aliquam medicinam afferret, facilior eſſet in reliquis Gregis univerſi curatio. Ea porro unde cetera in Clerum vitia manare ſolent duo eſſe animadvertens, rerum ſcilicet divinarum inſcitiam, & vitam otio, inertiaque traductam, faciendum ſibi in primis putavit, ut iis omnino eliminatis, quæ propria ſunt Eccleſiaſticorum hominum ſtudia inducerentur. Comparatis itaque pro cujuſvis captu, & commodo libris, certos in urbe, ac Provincia Sacerdotes conſtituit, qui rudiores alios patienter inſtituerent, aſſidueque exercerent. Coetus deinde aliquos ſtatuta menſis cujuslibet die

cum

cum in Civitate, tum in Dioeceſi cogi juſſit, ut eo quiſque ad differendum, vel reſpondendum de ſacris, atque eccleſiaſticis rebus conveniret methodo, & ordine ab ipſo Epiſcopo conſtitutis.

Nec minor de Clericis cura, ac ſolicitudo Gregorii fuit. Cum enim initia, progreſſioneſque virtutum a prima educatione maxime pendere intelligeret, probatos adoleſcentes, qui Eccleſiae nomen dare vellent, Seminario Clericorum excepit iis ſtudiis imbuendos, quae futuris Eccleſiae miniſtris maxime neceſſaria eſſent, ac populorum ſaluti cum primis utilia. Optimis magiſtris, qui probitate, & ſcientia praecellerent, pietate, ac literis inſtituendos tradidit, eorumque laboris partem in ſe quoque transferre, ac ſubire aliquando non dubitabat. Nam Seminarii aedes frequens adire, ac totos ibi aliquando dies tranſigere ſolebat, quo adoleſcentium Clericorum incitaret ſtudia, exploraret profectum, diſciplinam, & mores cognoſceret, paternis monitis teneras mentes ad virtutem fingeret, amantiſſimiſque cohortationibus ad officia religionis, ac pietatis accenderet.

Tenues porro, anguſtique quum eſſent Seminarii reditus, tribus Clericatibus, ut vocant, eidem perpetuo adjunctis ita cumulavit, &

D auxit,

auxit, ut centum deinde, & amplius ingenti Bergomenſis Eccleſiæ commodo, & ornamento ſuſtentari, ac inſtitui in eo poſſent alumni. Quo vero pluribus aliis, quibus pro ſua amplitudine ea Dioeceſis abundat, Clericis idem pateret commodum, eademque inſtitutio, de novo Seminario conſtituendo conſilium cepit, idque Apoſtolicae Sedis decreto ſub die XXII. Septembris anno MDCLX. ut conſtituere poſſet, impetravit. Sed quominus egregium, atque utiliſſimum opus perfecerit, in cauſa fuiſſe arbitror non multo poſt conſecutam ipſius ad Patavinam Sedem translationem. Tantae ſolicitudinis, ac beneficentiae memoriam, quam nullo unquam monumento conſignari, quamdiu Bergomi ſedit, Barbadicus permiſerat, eo ad Patavinam ſedem translato Seminarii Curatores his verbis ſub ejus gentilitio inſigni inſculptis poſuere.

EMINENTISS. CARDINALI BARBADICO
EPISCOPO BERGOMENSI,
QUOD SEMINARIUM DOTARIT MORIBUS,
DITARIT CENSIBUS, MUNIVERIT PIETATE,
EIQUE UNIVERIT CLERICATUS S. PAULI DE AZANO,
S. PETRI DE MEZATE, S. CASSIANI DE TRESCORE,
JOH. BAPTISTA LAVEZARIUS CANONICUS,
HANNIBAL ALEXANDRIUS, FRANCISCUS A VALLE,
ANTONIUS TIRABUSCUS PAROCHI DEPUTATI
GRATI ANIMI MONUMENTUM POSUERUNT
ANNO MDCLXIV.

Jam

Jam vero ut invectas in Cleri mores, ac diſciplinam corruptelas, abuſioneſque convelleret, vetera, ac recentiora Eccleſiæ inſtituta, quæ hominum oblivione, & incuria fere conciderant, in memoriam, & uſum revocare conſtituit. Ergo quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſive ab Oecumenicis, aut Provincialibus Conciliis, ſive a Praedeceſſoribus ſuis ſancita fuerant, urgere identidem coepit. Liberiores cum laicis alterius praeſertim ſexus conſuetudines, & familiaritates, negotiationes, aleas, choreas, larvas, theatra, atque profana id genus ſpectacula vehementer inſectari. Breviores veſtes, capillorum cultum, & quae ſeculi vanitatem praeſeferrent, omnino interdixit. Contubernales foeminas aut nullas permiſit, aut eas dumtaxat, quas vel aetas, vel proxima ſanguinis conjunctio omni ſuſpicione liberaret. Ne quid demum, ut alia mittamus, in Eccleſiaſticis viris minus decorum, aut a ſacra profeſſione alienum conſpiceretur, neminem in laicorum familia, vel obſequii, vel rei procurandae cauſa verſari ferebat. Improbabat in Sacerdotibus abjectionem, neque hac in parte vel erga ſe ipſum obſequium cujuſpiam, aut famulatum, niſi charitatis titulo, gravi aliqua in neceſſitate admittebat, id maxime ſpectans, ut eccleſiaſticus Or-

do quo ei debetur loco atque honore ab omnibus haberetur, cum eumdem ipſe exemplo ſuo reverenter obſervandum, excipiendumque doceret.

Neque ſatis eorum ſaluti, ac dignitati conſultum putavit, ſi nihil turpe, aut flagitioſum admitterent, niſi ad omnem quoque probitatis, virtutiſque formam compoſiti Chriſti bonus odor efficerentur, & quantum laicis amplitudine honoris, & gradus excellentia praeſtarent, tantum iis praelucerent ſplendore vitae, & ſanctitatis; atque ut tales eſſent praeibat ipſe vitae plane Apoſtolicae exemplis, ut haberet quiſque propoſita in Paſtore, atque Antiſtite ſuo quae caperet documenta virtutis: Praeibat quoque verbo, nec paternis ceſſabat monitis, juſſis, precibus, atque obſecrationibus hortari, arguere, urgere, ut Clerum ſuum Deo acceptabilem redderet, bonorumque operum ſectatorem: Literis demum, ac ſcriptis id aſſequi ſtuduit, ut ad optimam vitae, ac diſciplinae rationem unumquemque formaret. Edidit enim de Eccleſiaſticorum vita libellum, in quo deſignata diei partitione, quid ſingulis fere horis ab unoquoque praeſtandum, quod orationi, ſtudio, lectioni tribuendum tempus, quae vitanda, quae agenda Clerico, ac Sacerdoti, compendio indicabat, ac viam omnibus

expe-

expeditam praemonſtrabat, qua facile omnino, ſi vellent, ad Evangelicae vitae perfectionem contenderent.

Verumtamen quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, enixis ab eo precibus jugiter flagitabat, ut daret voci ſuae vocem virtutis, qua excitati Eccleſiae ſuae homines ad propoſitas ſanctitatis regulas aliquando conformarentur. Cumque intelligeret ad concipiendum, fovendumque melioris vitae ſtudium prodeſſe cum primis, ſi exterioribus curis aliquando ſepoſitis, brevis aliqua ſolitudo captetur, qua rerum aeternarum meditatione chriſtianus homo ſe contineat, omnemque in eas vim conferat mentis, pium hoc, ſaluberrimumque inſtitutum ab univerſo Eccleſiae ſuae Clero ſemel ut minus in annos ſingulos uſurpari juſſit. Primus itaque Bergomenſium Epiſcoporum edixit, ut Eccleſiaſtici omnes in deſignatum locum certis anni diebus ſecederent, ac pio aliquo ſacerdote exercitationum duce, ac magiſtro, aeternarum, divinarumque rerum contemplationi operam darent, tum contractas e mundano pulvere ſordes animi earumdem confeſſione detergerent, eccleſiaſticum ſpiritum renovarent, veterem denique hominem expoliantes cum acti-

actibus ſuis novum induerent, qui creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate. Tanta inde conſecuta eſt in pleriſque morum, vitaeque ad meliora converſio, ut brevi omni corruptela, ac deformitate ſublata reſtitui coeperit Cleri univerſi diſciplina, quam eo ſaluberrimo inſtituto deinceps retento mirifice auctam florentiſſima pietate, ac literis ad hanc uſque diem Bergomenſis tuetur Eccleſia.

CAPUT VI.

Ad Populi mores inſtituendos catechiſmo, & concionibus pergit.

RESTITUTA, ut fieri poterat, in ipſo fere Epiſcopatus exordio eccleſiaſtici Ordinis diſciplina ad corrigendos gregis univerſi mores ſtudia, operamque convertit. Cumque ingentem malorum partem ex divinarum rerum, quae ad ſalutem neceſſariae ſunt, inſcitia plerumque oriri animadverteret, in id mali genus a ſuis depellendum curam, induſtriamque omnem Gregorius intendit. Augebat hanc boni Paſtoris ſolicitudinem haud leve, quod ex vicinis haereticis orthodoxae fidei periculum impendere

re intelligebat; Nam qua parte Bergomenſis Provincia ad ſeptemtriones vergit, Vallitellinae Rhaetorum Provinciae finitima, ac contermina eſt, in qua Catholici Calvinianis commixti agunt, ac mutua utrinque commercia intercedunt. Pronum autem, expeditumque erat, ut ex illorum conſuetudine rudis populus, & catholicorum dogmatum imperitus haereticorum hominum, *quorum ſermo*, ut ait Paulus, *ſerpit ut cancer*, fallaciis caperetur, praviſque erroribus, ac doctrinis quaſi contagione quadam inficeretur. Facile enim contingit, ut quorum conſueſcimus moribus, religione quoque, ac vitiis imbuamur.

Ea porro cogitatio Gregorii zelum, & animum vehementer anxium, ac ſolicitum habuit ne quid in gregem ſuum ſerperet morbi, idque ſibi curandum exiſtimavit, ut non modo erroris labe, ſed periculo etiam ac ſuſpicione liberaretur. Quare omnes vigilantiae, induſtriaeque nervos intendit ad oves ſibi creditas chriſtianae doctrinae praeſidio communiendas, ne proximae peſtis afflatu, incautae, ac improvidae contaminarentur. Ac Dioeceſis quidem loca fere univerſa ab ipſo adminiſtrationis ſuae exordio nonnullis apoſtolicis viris e Congregatione, quam vocant Miſſionis, Roma deductis luſtranda commiſit,

miſit, qui divini verbi ſemen ubique ſererent, & chriſtianae catecheſis documenta traderent, ſeque brevi ea loca aditurum populis denunciarent. Univerſos interea Civitatis, Provinciaeque Curiones edicto monuit, ut ſingulis feſtis diebus hora pomeridiana diſcretos per claſſes pueros, puellaſque ſuae curae commiſſas catholicae Religionis praeceptis, ac rudimentis imbuerent, nec tamen adultos praeterirent. Magiſtros in unaquaque Paroecia diſpoſuit, quibus ad Parochorum auxilia adjungi clericos voluit, eorum Eccleſiae adſcriptos. Concionatores, & poenitentiae adminiſtros ſalutare inſtitutum urgere juſſit. Laicos viros, quos Piſcatores appellabat, tum Parochos ipſos circumire vias, plateas, & compita, vagoſque pueros, atque infimam plebem ſedulo conquiſitam non invitare modo, ſed ad templum deducere catecheſi imbuendam. Parentes ipſos, tutores, magiſtros, dominos, vel opifices, ut filios, ſervos, diſcipulos, operarios ad chriſtianam inſtitutionem compellerent, hortabatur ipſe cum voce e ſuggeſtu, tum literis amantiſſimis. Conflata praeterea piorum hominum ſodalitia, quorum cura, & inſtitutum in explicanda Religionis noſtrae diſciplina ſedulo verſaretur, quae varia deinceps in loca propagata

gata manent adhuc cum pietatis laude, ac religionis emolumento. Ad Epiſcopales aedes confluentes mendicos, antequam ſtipem acciperent, divina lege erudiri, quam publicis quoque in plateis circumfuſae multitudini a concionatoribus explicari juſſit. Qui eam ignoraſſet a ſacramentorum participatione arcebatur. Ut una demum, eademque omnibus eſſet docendi methodus, jam pridem ſtatutas a S. Carolo Borromaeo catechiſmi tradendi regulas ubique ſervandas vulgavit.

Nec ſuum deſiderari paſſus eſt ſtudium, qui alienum tantopere urgebat. Continenter ipſe magno ceterorum exemplo nec bruma, nec aeſtu deterritus, perincommoda ſemper hora eas ſcholas adire, de praecipuis religionis capitibus copioſe, dilucideque, atque ad auditorum captum ingeniique menſuram accomodate diſſerere, de divinae legis praeceptis, fideique elementis rudes interrogare, audire patienter, animos addere, ornare laudibus diligentes, excitare ſocordes: Pueros, puellaſque prima ſacrorum noſtrorum notitia imbuere, praemiis, & munuſculis allicere, factus cum Apoſtolo veluti parvulus in medio eorum, & tamquam ſi nutrix foveret filios ſuos, ut omnes quaſi mo-

do genitos infantes purioris doctrinae lacte enutriret. Auctae propterea inſignem in modum cum in Urbe, tum in Dioeceſi hujuſinodi ſcholae, ut jam nulla aetas, aut ſexus magna eas non adiret frequentia, ac turpe quiſque putaret chriſtianum hominem in voluntaria ejus, quam profitebatur, legis, ac religionis ignoratione verſari.

Cum vero intelligeret, divini verbi praedicationem praecipuum Epiſcopi munus eſſe, quod tanti fecerunt Apoſtoli, ut viduarum miniſterio operi Deo gratiſſimo anteferrent, in hanc quoque curam non alieno tantum miniſterio, ſed opera ipſe ſua continenter incubuit. Nam feſtis plerumque diebus, ſolemnioribus vero ſemper, ambonem conſcendens ad confertam non vulgi ſolum, ſed nobilium, optimatumque Civitatis cum Laicorum, tum Eccleſiaſticorum multitudinem tamquam pro Chriſto legatione fungens concionem habebat non in perſuaſibilibus humanae ſapientiae verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Sermo ejus vivus, & efficax ex imo pectore erumpere videbatur pleno magis pietatis, divinorumque ſenſuum, quos ex aſſidua cum Deo conſuetudine hauriebat, quam doctrinae lectione, ac ſtudio com-

comparatae, quam etſi minime negligebat, non oſtentabat tamen, ſed ita charitatis ardore temperabat, ut ejus robur, & nervi penetrarent ad mentem, animoſque auditorum, quos propterea in partem quamcumque vellet facile inflectebat. Eum e ſuggeſtu dicentem cum ſacris Pentecoſtes diebus aliquando audiſſet Lambertus Epiſcopus Eporedienſis divinam hominis eloquentiam ita eſt admiratus, ut ad Cardinalem Colloredum ſcribere non dubitaverit, viſum fuiſſe ſibi non alia ratione Apoſtolos poſt acceptum Spiritum Sanctum ad Judaeos, & Gentes verba feciſſe. Ardens, ac vehemens erat in iis vitiis exagitandis, in quae fere proniorem eſſe populum intelligebat. In pravas cum primis conſuetudines, quae frequentes, ac faciles labendi peccandique afferunt cauſas, invehebatur, amores videlicet, choreas, compotationes, ganeas, obtrectandi, jurandi, blaſphemandique licentiam, diſcordias, ac ſimultates, atque id genus flagitia, & ſcandala reprehendebat acriter, atque inſectabatur. Et quamquam unius plebis, rudiſque populi inſtitutionem ejus omnis ſpectare videretur oratio, appoſite tamen ad omnium ſtatum conditionemque dicebat, & ſingulorum officia ita perſequebatur, atque explica-

bat, ut omni auditorum generi chriſtianae vitae documenta ſuppeditaret.

Ex iis autem, quos acrioris poenitentiae ſtimulis, pietatiſque ſtudio incitatos videbat, cum laicis, tum Clero addictis hominibus, coetum quemdam, ac ſodalitium inſtituit, quod Poenitentiae oratorium vocavit; Qui in eam ſocietatem admittebantur, his fere inſtitutis una ſimul exercebantur. In ſubterraneum principis Templi ſacellum Feſtis diebus ſub veſperas conveniebant. Sacra primum lectio habebatur, quam excipiebat de aeternis rebus ſecreta mentis cogitatio. Tum Epiſcopus ipſe, aut qui conventui praeerat Sacerdos ad divini judicii, ſupremique numinis metum, ad expiandas poenitentia, & lacrymis praeteritae vitae noxas brevi ſermone excitabat; concepto demum de illatis Deo offenſis dolore, vitaeque emendatione propoſita, ac conſtituta, certo temporis ſpatio voluntaria ſe quiſque flagellatione plectebat. Coeptum vero in Urbe inſtitutum late quoque in Provincia magno pietatis incremento propagatum eſt.

CA-

CAPUT VII.

Vrbis, ac Dioeceſis viſitationem inſtituit, & quam in ea obeunda methodum, rationemque adhiberet.

HÆc paſtoralis ſolicitudinis quaſi initia fuerunt, atque praeludia. Jam probe intelligens quantam ad ſalutem Eccleſiae procurandam, ejuſque mala avertenda Paſtoris oculi habere vim ſoleant, univerſum gregem inſpicere, vultumque pecoris cognoſcere maturavit. A publicis itaque, privatiſque precationibus, ut decet rerum omnium initia, viſitationem auſpicatus, ipſam primum Civitatem, ac princeps ejuſdem templum rite luſtravit: Multa in eo diſciplinae capita reſtituit, multa emendavit, ac ſaluberrimis decretis, vel ipſo renitente Capitulo, ſervanda conſtituit. Certis legibus divinae Pſalmodiae tempora deſcripſit, Feſta diſcrevit, & ſua cuique diei, ac ſingulis horis diſtributionum, ut ajunt, compendia, vel diſpendia ſtatuit, & ſacrorum rituum, atque caeremoniarum obſervantiam ſancivit. Intermiſſam diutur-

diuturna deſuetudine certis diebus eccleſiaſtico ritu deſignatis parvi officii Beatae Virginis Mariae recitationem, Canonicis fruſtra obtendentibus inveterati moris poſſeſſionem, redintegravit, pleraque alia ad divini cultus incrementum, rerum ſacrarum dignitatem, & Cathedralis ipſius decus ſaluberrime inſtituit, atque ordinavit. Ceteras deinde Eccleſias, tum Parochos, Sacerdotes, Clericos, ſacras Virgines, Xenodochia, laicorum Sodalitia, loca denique omnia ad Epiſcopi curationem Eccleſiae lege, inſtitutoque ſpectantia accurate cognovit, opportuniſque decretis pro rerum, ac temporis neceſſitate communivit.

Non multo poſt ad viſendas exiit Dioeceſis Eccleſias, quarum viſitationem qua obiret ratione non abs re fuerit hoc loco explicare, ut inde Lector intelligat quantum in eo munere diligentiae, curae, ac laboris optimus Paſtor impenderit. Praeſcripſerat ipſe ſibi ex Tridentini Concilii, & Provincialis Mediolanenſis Eccleſiae Synodi decretis certas viſitationis regulas de comitatu, de itinere, de victus ratione, de adventu ad Eccleſiam, de locis, rebus, perſoniſque viſitandis, deque omnibus, quae ad eam rem pertinent, accurate obeundis. Eorum non-

nonnulla per literas Eccleſiarum Rectoribus ante viſitationem ipſam edicebat, monebatque, ut futurum Epiſcopi adventum Populo denunciarent, atque hortarentur, ut quae pro eorum ſalute inſtituenda erant accuratis ad Deum precibus adjuvarent: Tum Eccleſiae ſuae ſtatum, oviumque ſingularum deſcriberent: Scripto quoque referrent, qui Cleri, Populique mores, quae vitia obtinerent, quae potiſſimum corruptelae irrepſiſſent. Indicarent, num publici agerent ibi peccatores, blaſphemi, raptores, adulteri, ſcortatores, odiis, inimicitiis, aliiſve flagitiis impliciti; num a ſacris jamdudum alieni; num conjuges thoro disjuncti: Num alia, quae Epiſcopi cognitionem, & medicinam poſtularent. Praemonitos demum faciebat, quae ſibi, & comitibus ex Eccleſiae inſtituto paranda eſſent ad victum, ea nimirum frugalitate, ac temperantia, quam ſibi, & familiaribus uſu quotidiano praeſcripſerat. Exigua deinde ſupellectili inſtructus in viam ſe dabat, iter omne pſallendo, atque orando conficiens.

Bergomenſis Provincia ad ſexaginta paſſuum millia protenditur in longitudinem, tres fere partes montibus, jugiſque praerupta, & quartam vix partem planities occupat. Qui

mon-

montes incolunt plane rudes, numeroque frequentes paſtoritia exercent, lacteque, & caſtaneis vivunt: Ferro effodiendo in ſubjectis fodinis multi, lanificio nonnulli occupantur. Aſperrima igitur, aſcenſuque difficillima loca adire cogebatur Epiſcopus, ut corpore imbecillo, ac valetudine plerumque infirma, incredibili ſane incommodo, ac labore. Occurrebant identidem, ut eſt locorum natura parum idonea ad recreandum hominem inedia, & laſſitudine confectum, diverſoria, ſeu verius monticolarum gurguſtia, paſtorumve mapalia, nec alibi diverſabatur jucundius, quam ubi rerum premeretur inopia. Ut ventum erat ad deſignatum locum de via feſſus, ac viribus fractus, ſudore diffluens, vel imbre aliquando perfuſus, ne momento quidem temporis reſpirans, ſacram aedem primum adibat, Dei, Sanctorumque praeſidium multa prece rogaturus. Mox ad confertam populi multitudinem ſermonem habebat, utque ineundae viſitationis fructum caperent, ferventiſſimis verbis ad poenitentiam omnes exhortabatur. Templum deinde ipſum per partes luſtrabat, ſacra omnia cognoſcebat, quae neglecta eſſent reſtituens, quae confuſa ordinans, quae ſarcienda, ac renovanda praeſcribens.

Diei

Diei horas ita partiebatur, ut tempus omne populi inſtitutioni, commodo, ac ſaluti, ſeque ipſum cunctis tribueret. Rem divinam in templo primo mane faciebat, mox divinae legis rudimenta, ac praecepta rudi populo declarabat: Brevi deinde cohortatione infixis in eorum animos aeternarum veritatum aculeis, monebat ſingulos, ut qui ejus opera, conſiliove indigerent, libere omnino quavis hora ad Parochiales aedes ipſum adirent praeſto omnibus ſemper futurum.

Dabat ſubinde poenitentibus aures, tum vel ſacram ipſe ſuis manibus Euchariſtiam, vel nondum conſignatis, inunctiſque Confirmationis ſacramentum miniſtrabat. Ita matutinis horis aſſiduos inter labores traductis ad novos a prandio repetendos in hoſpitium ſe recipiebat. Cibus meridie parcus, aliquando nullus vel adeuntium cauſa perſaepe intermiſſus. Vix enim ad menſam conſtiterat, vel aderant condicta hora rebus, animiſve diſſidentes eo conciliatore uſuri, vel ab ipſo arceſſiti veniebant flagitioſi homines, contumaceſve a ſacramentis in ipſo Paſchate alieni, quos ille non antea dimittebat, quam amantiſſimis verbis ad ſaniorem mentem revocaſſet.

A prandio rurſus in Templum redibat, eademque ſedulitate ac labore catecheſim concionemque inſtaurabat. Sub noctem domum repetebat magna obſeſſus hominum frequentia, quae vix ullum quieſcendi ſpatium relinquebat; quos ut ille ad multam noctem patienter audierat, in cubiculum incoenatus ſe abdebat. Quod reliquum erat noctis orando magis, quam dormiendo magna ex parte tranſigebat. Brevis vero quies non detractis plerumque veſtibus, aliquando nec in lectulo capta, cubile ſiquidem non aliter ab ipſo relictum perſaepe deprehenſum eſt, quam primo advenienti conſtratum fuiſſet.

In omni quemcumque viſeret loco de pauperibus, de aegrotantibus ſtudioſe inquirebat, quibus & ipſe opitulabatur largiter, & aliorum quoque opem exemplo, atque hortatu procurabat. Inter viſitandum de Cleri, populique vitiis diligenter ſciſcitabatur, tum referebat in codicem; quae in praeſentia corrigi poſſent opportune emendabat, ac convellebat: quibus autem prompta, ac ſubita profutura non eſſent remedia, quod maturiore indigerent conſilio, ea diligentius expendenda, atque ſtatuenda in id tempus rejiciebat, quo in Urbem reverſus

accu-

accuratiorem de iis conſultationem inſtitueret. Clero ſeorſum vocato, quae neceſſaria ad ejus emendationem videbantur, gravi, amantiſſimaque oratione inculcabat: Eccleſiae vero Rectori viſitationis decreta ſcripto conſignata tradebat, quo ea rebus ipſis, atque uſu perfici curaret: Populum denique univerſum in Templo convocatum ad Dei timorem, ad mutuam charitatem, ad ſacramentorum, & catecheſis frequentiam, ad omnia chriſtianae pietatis opera amantiſſime cohortatus, atque omnibus omnia fauſta a Deo precatus diſcedebat.

Perfunctus unius pagi viſitatione, recta; ac celeriter in alium contendebat: diſcedentem vero effuſa populi multitudo, & circa ipſum ſtipata omnium aetatis hominum turba contineri vix poterat quin lacrymis proſequeretur, atque in voces erumperet triſtitiae, & amoris plenas. Sic inter publicas doloris, pietatiſque ſignificationes ad alteram proficiſcebatur Eccleſiam non minora viarum, curarumque incommoda ſubiturus. Cum enim vel ultimum luſtrare vellet Dioeceſis ſuae pagum, ac vicum, nunc abrupta montium, nunc abſtruſos vallium receſſus per anguſtos, atque impervios calles adire pedibus cogebatur, ex quo intelligi poteſt

 quae

quae pericula obierit, quot labores iis itineribus ſuſtinuerit, praeſertim cum ubique eamdem agendi, viſitandique rationem nullo vitae, commoditatis, aut valetudinis ſtudio conſtanter retineret.

Quem vero ceperit ex iiſdem laboribus fructum aeſtimare facilius eſt, quam brevi narratione complecti. Id primum eſt aſſequutus, ut chriſtiana inſtitutio adminiculum fidei, magiſtra religionis, & fundamentum ſalutis, jam pridem neglecta ubique locorum reſtitueretur: Tum ut diſpulſa divinae legis ignoratione ſenſim quoque exigerentur flagitia, comprimeretur vivendi licentia, pravaeque amputarentur conſuetudines peccandique occaſiones tollerentur. Concionum, & ſacramentorum uſus, quo nihil eſt populo chriſtiano ſalubrius, vel inductus vel auctus; redintegratus feſtorum dierum cultus, reſtituta templorum reverentia, Clerus ad officia ſua revocatus, exercita ab omnibus chriſtianae pietatis opera, mutata demum Eccleſiae, ac Dioeceſis univerſae facies, & quam veluti agrum ſpinis conſitum, atque occupatum acceperat, purgatam adeo, frugiferamque reliquit, ut quodammodo antiquorum temporum diſciplinam, & ſanctitatem praeferre videretur.

CA-

CAPUT VIII.

Pelaginorum ſectam ab Eccleſia ſua exterminat.

SEd dum agro ſibi commiſſo optima ingereret ſolertiſſimus cultor fidei, morum, ac diſciplinae ſemina, quae in uberrimae ſpem meſſis jam adoleſcere coeperant, non defuit inimicus homo, qui *zizania ſuperſeminare* tentavit. Per ea tempora Jacobus a Sancta Pelagia laicus Mediolanenſis vitae ſanctitatem ementitus, ſimulatae virtutis oſtentatione multorum animos ita occupaverat, atque ſeduxerat, ut ſpiritualis vitae, ac ſublimioris contemplationis magiſtrum ac ducem ſe iis praeberet. Clandeſtinos virorum, foeminarumque coetus cogebat, in quibus inſtauratis Gnoſticorum, Beguardorum, Beguinarumque illuſionibus, atque ſpurcitiis exitioſa dogmata late propagabat. Pulſi e Brixiana dioeceſi opera ac zelo Petri Cardinalis Otthoboni ejus civitatis Epiſcopi, qui deinde Alexandri VIII. aſſumpto nomine in Romana cathedra ſedit, impuriſſimae ſectae profeſſores, qui a praeformatore ſuo *Pelagini* vulgo dicebantur, in proximam,

mam, ac finitimam Bergomenſem Provinciam commigrarunt, ibique pravi dogmatis luem clam diffundentes incautos nonnullos afflare jam coeperant. Quod ubi Gregorio renunciatum eſt, exhorruit animo gravi metu commotus, ne late ſerpens venenum gregem univerſum inficeret, atque corrumperet. Quo ergo vehementer ardebat religionis tuendae zelo mali exordio occurrere ſtatuit, collatiſque cum Fidei Quaeſitore Vincentio Maria Rivoli Ordinis Praedicatorum conſiliis, ac ſtudiis, obtentaque ab Urbis Praetore Aloyſio Mocenico auxiliari manu, quo ab ipſa radice malum convelleret, in exitialis ſectae propagatores inquirere coepit: Tum ſuo, ac Fidei Quaeſitoris nomine edictum vulgavit, quo tenebroſae, ac ſubdolae genti larvam detraheret, veteratorum fallacias explicaret, conventicula prohiberet, ac profanos coetus diſſolveret. Oves in primis ſuas paterna commonebat ſolicitudine, ut ab iis diligenter caverent, qui ore habituque *pietatis formam habentes*, *ſed virtutem ejus abnegantes* eo facilius ſimulatione virtutis ſeducunt plurimos, quo *ſe in angelos lucis transfigurant*, cum ſatanae ſint, *docentes quae non oportet*, ſeque apud imperitos, & credulas in primis foeminas earum rerum magiſtros venditant, quarum vix

eſſe

eſſe queant diſcipuli. Falſis enim imbuti, illuſique praejudiciis, dum nova obtrudunt ſpiritualis vitae documenta, miſeros auditores in varios ſecum errores abripiunt, atque in aeternae damnationis diſcrimen impellunt. Compertum vero exploratumque ſibi cum eſſet adverſus Eccleſiae leges nonnulla conflari virorum foeminarumque conventicula, in quibus exercitationum piarum obtentu falſae Orationis traderentur praecepta; eos praeterea, qui coetus hujuſmodi frequentare ſolerent, arcani diſciplina, & ſacramento quodam obſtringi, ne quidpiam eorum revelarent, ac proderent, quae ibi clam agerentur, quo vel uno graviſſimam pravae mentis ſuſpicionem injicerent: Ea propter quo catholicae Fidei, morumque puritati proſpiceret, atque aeternae perditionis aditum creditis ſibi animabus praecluderet, omnibus ſuae curae ſubjectis conventicula ejuſmodi quamcumque in poſterum ob cauſam cogere, vel adire omnino vetabat.

Perverſam deinde ac periculi plenam ſpiritualis vitae inſtituendae rationem eam eſſe denuntiabat, qua infirmae adhuc mentes, atque imbecillae ad ſublimia & excelſa Deo non trahente inter orandum conſcendere, & quaſi evolare

lare docentur, cum vix in imo chriſtianae perfectionis conſiſtant. Id enim vero curandum in primis, ut aſſidua ac diuturna vitae activae exercitatione per humilitatis, patientiae, ſui ipſius abnegationis, aliarumque virtutum actus, & habitus, pravas cupiditates, animique perturbationes frangere, ac ſubigere diſcant, tum per gradus veluti quoſdam ad altiora enitantur. Eos, qui ſecus fecerint, poſt falſae atque inanis contemplationis uſum, nullo in ſanctitate vitae profectu, virtutibus vacuos, ac prioribus vitiis irretitos magis, inquinatoſque plerumque reperiri.

Monitos quoque eos faciebat, qui foeminis ad vitam pie religioſeque exigendam inſtitutores ſe praebent, atque in ea cura libenter verſantur, ut hanc veluti certam quam ſequerentur regulam animo infigerent penitus, ac ſæpe memoria retractarent Auguſtini ſententiam(a): *Sermo brevis, ac rigidus cum mulieribus eſt habendus, nec tamen quia ſanctiores fuerint, ideo minus cavendae; quo enim ſanctiores ſunt, eo magis alliciunt, & ſub praetextu blandi ſermonis, immiſcet ſe viſcus impiiſſimae libidinis*: Nam, ut aliis verbis egregie ac vere S. Thomas Doctor Angelicus (b): *Frequens familiaritas cum mulieribus ſpiritualibus domeſticum eſt periculum*,

(a) *Apud S. Th. Opuſc. LXIV.* (b) *ibidem.*

culum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum.

Parochorum denique vigilantiam urgebat acriter, atque conſcientiam onerabat, quo a ſuae quiſque Paroeciae finibus ea flagitia quam longiſſime arceret, ſubjectamque ſibi plebem de rebus his diligenter doceret; nec hortaretur modo, ſed etiam impelleret, ut ad Eccleſiae tribunal eos ſtatim deferret, qui vetita conventicula celebrarent. His optimus Paſtor conſiliis, atque remediis imminens Gregi propulſavit periculum, atque id eſt feliciter aſſequutus, ut ab eo ſummoti peſtilentes homines, ſin minus a morbo convaleſcerent ipſi, oves certe ſuas inficere non amplius poſſent; ſicque eliminata pravi dogmatis contagione Eccleſia Bergomenſis catholicae puriſſimaeque Religionis cultu jam inde ab Apoſtolicis temporibus clara in antiquae Fidei profeſſione confirmata in poſterum perſeveraret.

CAPUT IX.

Ab Alexandro VII. S. R. E. Cardinalis creatur. Romam proficiſcitur, mox ad Eccleſiam ſuam revertens Synodum celebrat.

HÆc ad Gregis ſalutem, Eccleſiae ſuae commoda, & incrementum, aliaque id genus complura brevi temporis ſpatio Gregorius

 per-

perfecit, quorum fama cum omnium ore celebraretur, non finitimas modo regiones pervaſit, ſed Romam quoque perlata eſt. Quare virtutum, meritorumque illius aeſtimator aequiſſimus Alexander VII. confirmata, & aucta, quam de ipſo ceperat, opinione, dignum omnino exiſtimavit quem novis cumularet honoribus, ac ſublimiorem in locum proveheret, ne uni tantum Reipublicae chriſtianae parti, ſed virtutum ſuarum lumine univerſae ſplenderet Eccleſiae. De illo itaque ornando, ac promovendo cum mature deliberaſſet, die v. Aprilis Anno MDCLX. adprobante, ac plaudente Patrum Senatu, abſentem, ac prorſus inſcium S. R. E. Cardinalem creavit. Delata per celerem nuntium ampliſſimae dignitatis inſignia, ille nihil tale ſuſpicans inexpectatae rei novitate attonitus, atque perculſus eo animo excepit, quo humana omnia, ac terrena metiri, atque aeſtimare ſolebat. Eum tamen honoris nec optati, nec quaeſiti gradum Deo primum bonorum omnium diſpenſatori acceptum referens, tum ejuſdem in terris Vicario benefactòri ſuo amantiſſimo, quam potuit maximas ei egit gratias, ſeque illi, atque Apoſtolicae Sedi arctiore in poſterum vinculo adſtrictum, mancipatumque profeſſus, in ejus fide, & obſe-

obſequio perpetuo manſurum declaravit. Nec multo poſt Romam contendit, ut purpureum galerum ex ipſius Pontificis manu ſolemni ritu reciperet. Ut primum autem caeremoniam illam explevit, conſuetis urbanitatis officiis in aula perfunctus, maturato reditu, ac celeri itinere in dilectae Eccleſiae ſuae ſinum ſeſe recepit.

Jam vero in ampliſſimo ordine conſtitutus ita ſe geſſit, ut is honor valuerit ad probitatem virtutemque hominis illuſtrandam potius, quam ad quidquam de priſtinis animi ſenſibus, vitaeque conſuetudine immutandum. Nec enim quietam ſibi, ac laboribus vacuam propoſuit vitam, quaſi adeptus Cardinalatum navigaret in portu, ſed propter illuſtrioris honoris praeſtantiam, ſublimiorem quoque virtutem a ſe flagitari ſentiens, multo magis quam umquam antea laborandum, vigilandum, connitendum eſſe ſibi perſuaſit. Ac majorem veluti nactus virtutis exercendae campum ita ſecum ſtatuit; eo ferventius Dei opem quaerendam, eo acrius, ac diligentius ipſius gloriam promovendam, Eccleſiae utilitati operoſius inſerviendum, hominumque ſalutem curandam multo magis, atque tuendam. Ergo de prioris vitae inſtituto, ac ratione nihil omnino remittens, Cardinalis quidem titulo, inſignibus,

atque honoris praerogativa, ceterum modeſtia, frugalitate, laboribus, curis, vitaeque aſperitate idem qui antea Epiſcopus, niſi, quod nova fiebat in eo virtutis, & ſanctitatis acceſſio.

Ad Eccleſiae vero procurationem quod attinet, intermiſſas brevi abſentiae ſuae tempore viſitationis curas, quo ſolebat labore, & contentione repetiit, eaque demum feliciter abſoluta, Synodum Dioeceſanam indixit in kal. Septembres Anni MDCLX. Hanc magna Cleri frequentia celebravit, cum in ſingulis Paroeciis non niſi ſinguli manſiſſent Sacerdotes, qui aegrotis praeſto eſſent. Gravem admodum ad Clericos, & Sacerdotes orationem habuit, quae typis vulgata ſanctiſſimi Paſtoris zelum praefert cum ſumma doctrina, atque eruditione conjunctum. A ferendis novis legibus temperandum ſibi prudenter exiſtimavit; ſiquidem earum copia, ac varietate, uti multitudine remediorum corpora, magis aliquando laborare Rempublicam ſentiebat, quam gravitate morborum. Edita tamen a Praedeceſſoribus ſuis ad diſciplinae inſtaurationem, atque cuſtodiam decreta, quae temporum injuria obſoleſcere coeperant, in memoriam revocavit, eaque ab omnibus in poſterum ſervanda auctoritate quoque ſua propoſuit, atque firmavit.

Haec

Haec ille brevi, quo praefuit Eccleſiae Bergomenſi, annorum ſpatio praeſtitit; majora etiam facturus, ſi in coeptis diutius pergendi loci, & temporis opportunitas ei non defuiſſet. De quibus breviter ſcribenti nullum magis idoneum teſtimonium offerri, aut majoris auctoritatis potuit, quam Petri Cardinalis Prioli, qui ei in Bergomenſis Eccleſiae adminiſtratione non multis poſt annis ſucceſſit. Is enim ad Clementem XI. P. M. de Barbadico ſcribens: „ Eccleſiam, inquit, Bergomenſem ſanctiſſime, & „ brevi ſeptennii ſpatio multo plurium anno„ rum mente complexus conformavit moribus, „ ſancivit legibus, ornavit doctrina, inducto „ ſpiritualium exercitiorum uſu, Chriſtiana ca„ techeſi aſſidue promota, Dioeceſi montana „ praeſertim, & non facile pervia diligentiſſi„ me luſtrata, Clero ad diſciplinam compoſito, „ ſanctimonialibus ad perfectioris vitae formam „ redactis, Seminario Eccleſiaſtico redditibus au„ cto, & pietatis, ac literarum ſtudiis exculto, „ nobilium, ac plebis piis coetibus inſtitutis, „ populoque omni ad bonam frugem revocato.

In eandem quoque ſententiam, iiſdemque fere praeconiis ejuſdem Cathedralis Capitulum datis ad Pontificem literis haec de Paſtore, atque

que Antiſtite olim ſuo memoriae prodebat: „ Vi-
„ get adhuc in Bergomatum animis dulciſſima
„ geſtorum ejus recordatio, & frequens in ore
„ omnium praedicatio. Exſtant paſtoralis ipſius
„ ſolicitudinis etiam in poſtremis Dioeceſis vil-
„ lulis, in aſperioribus aditu, ſituque montibus
„ aere perenniora monumenta. Unius ſeculi quis
„ credat, quae vix fuere ſeptennii, & infirma
„ ſemper valetudine, quam ultro adhibitae cor-
„ poris afflictationes augebant.

Luculentius demum Parochorum Urbis Congregatio ad eumdem Pontificem Maximum de Gregorii zelo, animarumque ſtudio plane admirabili haec teſtabatur.

„ Praeibat itaque Gregorius exemplo quo
„ vocabat imperio, & vita Epiſcopi erat Paro-
„ chorum norma, & cenſura. Ad orationis fre-
„ quentiam animarum Curatores ſolicitabat? Ipſe
„ quod in Martino Epiſcopo laudatur, invictum
„ ab oratione ſpiritum non relaxabat. Ad Sa-
„ cramenta ſancte tractanda hortabatur? Ipſe in
„ Sacris ſanctitatis ipſius ſpecimen ſe praebe-
„ bat. Urgebat ad catholicae Fidei praeceptis,
„ & myſteriis imbuendos commiſſos noſtrae cu-
„ rae Populos? Chriſtianae doctrinae ſcholas
„ ipſe aſſiduus obibat, non hyemis hic acrius
„ ſae-

„ ſaevientis rigore, non aeſtatis fervore deter-
„ ritus, ſi quos rudiores inveniſſet patienter in-
„ ſtruens, inſtructiores laudibus, & praemiis
„ excitans, omnes demum inflammans ad ſan-
„ ctùm diſcendi opus, quod ſi unquam ferbuit,
„ ſub illo Epiſcopo fuit, & ad haec uſque tem-
„ pora favente Deo manſit. Intenſiorem de ani-
„ marum ſalute ſolicitudinem exigebat? Prin-
„ ceps in ea omni conatu promovenda. Ad ter-
„ renarum rerum contemptum, ad eleemoſyna-
„ rum in egenos largitionem, ad ſacras caere-
„ monias rite obeundas facem ipſe praeferebat
„ animo humana cuncta ſupergreſſo, divitiarum
„ contemptor, in pauperes copioſiſſime effuſus,
„ divinorum rituum ſervantiſſimus, adeo ut ſi
„ illi periiſſent, ex uno Gregorio ſacris operan-
„ te, & Divina peragente exſcribi potuiſſent.
„ Praemonſtrabat in ſe ipſo quam in Dei cul-
„ tu religionem, in Templorum nitore diligen-
„ tiam, in pervicacioribus corrigendis lenitatem,
„ in vitae ratione diſciplinam a Parochis, ce-
„ teriſque Templorum miniſtris deſiderabat. In
„ ferenda onerum Parochialium cura ipſum ha-
„ bebamus Ducem, quem ſequeremur, ad mo-
„ rientium aedes die, ac nocte accurrentem,
„ diſſidia inter nobiles componentem, in omni
„ pa-

„ patientia, & labore arguentem, obſecrantem,
„ increpantem, creberrimas, eaſque ferventiſ-
„ mas conciones habentem, & verba vitae ſu-
„ per mel, & favum dulciora ſundentem: om-
„ nia demum Epiſcopalia munera alacriter obe-
„ untem. Quot ille reluctantes ad animam fla-
„ gitiis inquinatam ſacra exomologeſi expian-
„ dam, & jamdiu intermiſſam Angelorum Eu-
„ chariſticam eſcam revocavit? Quot puellas e
„ pudicitiae diſcrimine cura, & aere ſuo eruen-
„ das curavit? Quot lapſas in poenitentiae asy-
„ lo collocavit? Gregorius perditorum reſtitu-
„ tor, afflictorum perfugium, viduarum patro-
„ nus, orphanorum Pater. Gregorius bonarum,
„ ac maxime divinarum literarum ſtudia exci-
„ tavit, iiſdemque ipſe excultiſſimus, quibus
„ tantum temporis tribuebat, quantum alii ad
„ ipſam requiem animi, & corporis ſibi ſumunt.

Habeant igitur Lectores paucis quidem, ſed vivis admodum coloribus tanquam delineatam, expreſſamque Barbadici Paſtoris ſanctiſſimi imaginem; quam ſi meis ipſe verbis effingere voluiſſem, haud ſcio an luculentius potuiſſem illuſtriora, quae ille in Bergomatum Eccleſiam contulit, beneficia, & commoda recenſere.

CA-

CAPUT X.

A Bergomenſi Eccleſia ad Patavinam transfertur.

RES adeo praeclare geſtas, ac tanta cum laude adminiſtratam Bergomenſem Eccleſiam cum Pontifex Summus Alexander VII. conſideraret, ampliorem Dominici agri portionem Gregorio deſignandam ac committendam putavit, fore ſperans ut uberior inde meſſis tam eximii cultoris induſtria Eccleſiae obveniret. Nec fuit illi ad perficiendum, quod animo jamdudum conceperat, occaſio diu expectanda. Nam per idem tempus anno videlicet MDCLXIII. menſe Novembri Georgio Cornelio vita functo Patavinorum Eccleſia novum Antiſtitem expectabat. Itaque de Barbadico in demortui locum ſufficiendo ſtatim Alexander cogitavit, ac ne exquiſito quidem, aut expectato illius aſſenſu, ad eam ſedem translatum declaravit. Mox dato translationis diplomate amantiſſimis eum literis cohortatus eſt, ut omni cunctatione, & cauſatione omiſſa novum onus ſubiret, collatiſque ſibi a Deo viribus ferre non detrectaret. Ad inexpectatae

rei nuncium Gregorius aeſtuare vehementer animo coepit, ac varias in partes diſtrahi. Tum ſi quo modo recuſare, ac defugere poſſet graviſſimam ſarcinam, ne quod erat illi acerbiſſimum, a ſponſae ſuae ſinu divelli cogeretur, rationes omnes excogitavit; eamque in primis verſabat animo, quod alienum a ſeveriore Eccleſiae diſciplina, atque ſacrorum Canonum praeſcripto videretur, quempiam ab una Epiſcopali ſede ad alteram ſine cauſa traduci. Itaque rem omnem cum Johanne Paulo Oliva tum Pontifici a concionibus, deinde Societatis Jeſu Generali Praepoſito communicandam putavit, rogavitque hominem, quam ſtudioſiſſime potuit, ut ab ea mente Pontificem dimoveret rationibus, ut ſibi videbatur, ad id perſuadendum graviſſimis. At operam ille ſuam inanem prorſus apud Pontificem futuram intelligens, hanc ad eum epiſtolam dedit, qua inducere conabatur, ut Pontifici imperanti morigeraretur, neve conſilia animi ſui quantumvis aequa viderentur pluris faceret prae Pontificis voluntate. „ Momen-„ ta rerum, atque rationum diligenter expen-„ di, quibus Eminentiae Veſtrae viſum eſt ab „ Eccleſia Bergomenſi diſcedendum non eſſe ta-„ metſi a Chriſti Vicario ad aliam evocaretur.

„ Ego

„ Ego autem ſic exiſtimo, rationibus iis omni-
„ bus quamquam optimis praeferendam omni-
„ no eſſe divinam voluntatem, tum ſummam
„ illius Dioeceſis, quo deſtinatur, neceſſitatem,
„ manifeſtum denique, in quo aſſidue verſatur,
„ ſub iſthoc rigido, & aſpero Coelo vitae pe-
„ riculum. Jam aulae Romanae ſatis cognitum,
„ perſpectumque eſt, quantum E. V. aliena ſit
„ a quacumque Eccleſiae, vel ſtatus mutatione;
„ novit enim ob id arreptam aliquando ab Ur-
„ be fugam; novit praeterea E. V. animum ab
„ omni commodo, vel utilitate averſum peni-
„ tus, atque alienum: Nihilo tamen ſecius obe-
„ dientia, quae melior eſt quam omnis victima, ac
„ longe major animarum numerus, quae tanti
„ Paſtoris vigilantia, & exemplo quam maxi-
„ me indigent, non ſuadere modo, ſed impel-
„ lere debent E. V. ut divinae ſe alacriter vo-
„ luntati committat, eamque amplectatur cru-
„ cem, quam Chriſtus Vicarii ſui manu hume-
„ ris ejus imponit. Haec eſt conſilii mei ratio
„ nihil temporale, aut terrenum, ſed unam re-
„ ſpiciens majorem Dei gloriam, atque omni-
„ no certam novi Gregis Eminentiam Veſtram
„ praeſtolantis utilitatem.

Quas igitur meditabatur Gregorius elaben-

 di,

di, defugiendique vias, cum Pontificis voce praecluſiſſet divina voluntas, cui refragari religio eſſet, acquieſcendum ſibi eſſe intellexit. Quapropter ad ſpem rei bene gerendae excitatus, ac divinae Providentiae confiſus, quae quocumque ſe vocaret, ac duceret, quod ſibi, & Eccleſiae potius, atque utilius futurum eſſet, efficeret, manus dedit, ac paruit ſe totum aequiſſimo animo Deo vocanti permittens.

Fuit ea dies ut Patavinae Eccleſiae felix, ac jucundiſſima, ita Bergomenſi triſtis, ac luctuoſa, quod adempto ſibi egregio, ſanctiſſimoque Paſtori vix parem unquam alium ſe habituram ſperaret. Itaque Grex univerſus in dolore, ac luctu eſſe, conqueri ereptum ſibi optimum, amantiſſimumque Antiſtitem, ac veluti amiſſo Patre orbitatem ſuam deflere. Contra ingenti Patavini geſtire laetitia, efferre laudibus Pontificis Romani judicium, ac novum Gregorio honorem effuſis omnium ordinum plauſibus gratulari: Nihil non felix, fauſtumque ſibi ominari ab eo Paſtore, cujus virtutum, & ſanctitatis fama Italiam compleverat univerſam. Neque ea ſpes Patavinos fefellit, quum nullum fuerit Paſtoralis ſolicitudinis genus, quod a priore Eccleſia in alteram non tranſtulerit Barbadicus,

cus, ut purgatam, expolitamque chriſtianis moribus, beneficiiſque inſignibus auctam, ad poſteri temporis firmitatem optimis legibus communitam, exemplis denique ſuarum virtutum omni ſanctitate ornatam, cumulatamque relinqueret.

CAPUT XI.

Quae primum egerit in Patavino Epiſcopatu.

PAtavina Eccleſia, cujus originem ab apoſtolicis uſque temporibus Scriptores plerique deducere ſolent, ut ceteras Venetae Reipublicae Eccleſias amplitudine redituum ad Epiſcopi dignitatem nobilius tuendam praecellit, ita oneribus ſuperat, atque laboribus ab Epiſcopo, ſi modo recte munere ille ſuo fungi velit, perferendis. Praeeſt ille antiquiſſimae, ampliſſimaeque Civitati, cujus tamen pro ambitu longe minor eſt civium numerus, incolarumque frequentia. Eorum nonnulli ob agri ubertatem, rerumque copiam, ut fieri plerumque ſolet, in otio vivunt, alii literas ſequuntur, quorum alterum vix unquam, alterum haud ita ſaepe videmus cum eximiae pietatis ſtudio conjungi. Neque eo ſecius ea Urbs, ut omnibus bonis artibus, ac diſciplinis, ita etiam cultu religionis ſem-

ſemper excelluit. Princeps Templum illuſtri ornatur Capitulo, quod Canonicis XXVII. ex quibus dignitates, ut vocant, quatuor, Cuſtodibus ſex, totidemque animarum Curatoribus, Capellanis XLVI. amplius triginta Clericis conſtat. Templa CXVI. in Urbe numerantur; quibus animarum cura adjuncta eſt XXIV. Regularium virorum Coenobia XXI., ſacrarum Virginum Monaſteria, aliaque foeminarum Collegia XXVIII. Xenodochia praecipua ſexdecim, praeter alia pia loca, laicorumque hominum ſodalitia, atque Oratoria. Dioeceſis latiſſime patet ad quinquaginta fere paſſuum millia, oppidis, caſtris, vicis, pagiſque frequens. Templa in ea fere quingenta: maximam partem ampla continetur, feracique planitie, amoeniſque collibus cingitur, iiſdemque frugiferis. Montibus tamen non caret, iiſque aſperrimis, aditúque difficillimis, ut alicubi equo conſcendi vix poſſint. In Regiones dividitur XLV. Vicariis, ut vocant, foraneis tributas. Parochiales habet Eccleſias CCCV. In tota Dioeceſi cenſentur hominum capita amplius CCC. millia.

In ampliorem hanc Provinciam translatus Gregorius eo tempore fuit, quo ex ſuſceptis in Bergomenſis Eccleſiae procuratione laboribus,

vale-

valetudine erat adeo affecta, atque imbecilla, ut exiguum ei vitae ſpatium jam Medici praenunciarent. Ea in Civitate, in qua ſeverioribus literis, & diſciplinis adoleſcens operam dederat, tum ob proximas paternas aedes, atque affinium, amicorumque Venetorum familias quaſi in ſinu patriae tranquillum, tutumque portum, in quo demum quieſceret, inveniſſe videbatur. At ille, quod acceptum honorem non veterum laborum mercedem, ac praemium, ſed novorum initium eſſe veriſſime reputaret, poſthabitis non tantum vitae commodis, ſed honeſtis quoque levationibus ad mortem uſque continenter laborandum, deſudandumque ſibi conſtituit.

Ut primum itaque novi regiminis clavo manum admovit, quae duo ſemper gerebat in oculis, divinæ gloriae incrementum, & commiſſi ſibi Gregis ſalutem omni ope, ſtudio, ac diligentia promovenda ſuſcepit. Atque ut ab omni alia ſolicitudine, & cura expeditus, ac liber, in ſolas incumbere poſſet Paſtoralis muneris partes, rei familiaris adminiſtrationem a ſe prorſus amotam in alios rejecit. Idoneos ergo Epiſcopali menſae Sacerdotes praefecit, quibus prudentiae, & fidei laude probatos aliquot laicos adjunxit, ut ab Oeconomis, Procuratoribus, ceteriſque

riſque ádminiſtris dati, acceptique rationes exigerent, deque omnibus iis decernerent, quae ad Familiae expenſas, aut reditus pertinerent. Quo id primum conſequebatur, ut ad veteris diſciplinae normam, Conciliorumque decreta non ſine teſtimonio in re pecuniaria eſſet Epiſcopi adminiſtratio, tum ut ipſe non ſolum omni ſuſpicione avaritiae careret, ſed ingenti curarum parte, ac moleſtia liberaretur.

Jam vero cum nihil grave ſine conſilio aggrediendum, ac ſine aliorum opera perfici poſſe intelligeret, neque ſe unum tantis parem eſſe oneribus, quibus premeretur rerum gerendarum, exemplo Moſis quod ſacris literis proditum eſt, quae leviora eſſe viderentur, minoriſque momenti, ſingula in fidiſſimos, atque idoneos homines transferre conſtituit, qui probitate, ingenio, & prudentia valerent plurimum, atque in variis ad Eccleſiae commoda miniſteriis adjutricem ipſi manum praeſtarent. Viros itaque quoſcumque potuit probos in primis, ac literatos cum ex ipſo Patavinae Eccleſiae ſinu, tum aliunde, ac praeſertim ex Mediolanenſium Oblatorum Congregatione, aliiſque coetibus advocavit, quibus varia committeret Eccleſiae munera. Non ita tamen in regiminis ſui partem eos adſcivit,

ſcivit, ut onera omnia in eos transfunderet, ſeque curis levaret, atque laboribus; Nam in ſingulorum officia invigilabat ſedulo, ac ſaepe inquirebat, atque in rebus ſingulis ordinandis, diſponendis, ac tranſigendis, minutis quoque, ac temporariis per ſe curandis ita verſabatur, ut ſpiritu, conſiliis, & opera non praeire ſolum, ſed ſuſtentare omnes videretur.

Et in Urbe quidem de auxiliari Sacerdotum manu laborandum ei magnopere non fuit, cum & plures haberet operi idoneos, atque opportunos, & Gregem praeſens ipſe intueri, atque curare facile poſſet; tum conſtituere hominem juris, & Eccleſiaſticae diſciplinae peritum, cui vicariam poteſtatem in univerſos committeret. Praecipua, ac difficilior cura fuit externis Provinciae Eccleſiis idoneos, probatoſque Paſtores praeficere, aut jam conſtitutos in officio diligenter obeundo continere. In eorum propterea delectu accuratiſſimus fuit, in obſervandis autem, exercendiſque jam praepoſitis vigilantiſſimus. Nam deſignatis per ſingulas regiones Vicariis, probatis nimirum, ac gravibus Sacerdotibus, ſingulas Paroecias regionis cuilibet ſuae luſtrandas commiſit, ut in earum Rectores diligenter inquireret, Cleri, populique mores notaret; intueretur,

ac circumſpiceret omnia , accurateque ad Epiſcopum referret, quae in praeſentia curare ipſe , atque emendare non poſſet. Quae vero ab iis ſervandae leges, quae cuique poteſtas eſſet, quae cura exercenda, ſingulari libello deſcripſit, qui typis vulgatus circumfertur: Eos in Urbem aliquando arceſſitos interrogabat diligenter de ſingulis, & quemadmodum muneris ſui partes obiiſſent cognoſcere volebat. Sed de illorum evocatione atque inſtitutis erit alibi opportunior dicendi locus.

Haud ſatis tamen Eccleſiae neceſſitati conſultum putabat, ſi alienis tantum oculis eam luſtraret, niſi cognitum ipſe perſpectumque oculis haberet ſuis Gregem univerſum, & quibus indigeret ad ſalutem remediis diligenter inveſtigaſſet. Quamobrem inſtituta cum Urbis, tum Dioeceſis viſitatione, hanc niſi legitime abſens, graviterve impeditus per ſe quotannis ita obire ſolebat, ut aliquam ſemper Civitatis partem, ac Dioeceſis inviſeret, donec univerſam, qua late patet, Provinciam circumiret. De comitatu autem, frugalitate, curis, atque laboribus eo in munere adhibitis non eſt cur plura dicamus; ſunt enim huc transferenda, quae de Bergomenſis Eccleſiae viſitatione ſupra indicavimus,

vimus, cum eandem retinuerit in utraque Dioeceſi peragranda vitæ rationem, ac diſciplinam.

CAPUT XII.

De Clericorum Seminario, aedibus amplificato, reditibus, ſcholis, aliiſque inſtitutis, ac beneficiis auсto.

PRimas componendae, ordinandaeque Eccleſiae cogitationes, & curas ad Eccleſiaſticorum hominum coetum convertit, quo nimirum ſanсte, riteque inſtituto facile Populus ad religionis, ac pietatis officia revocaretur. Cum vero intelligeret idoneos Eccleſiae Miniſtros nonniſi ex optime inſtitutis Clericis fieri poſſe, quantaque vis in reсta horum inſtitutione ad reliquum vitae curſum ineſſet, in id primum operam contulit, ut Eccleſiae addiсti adoleſcentes pietate, ac literis qua fieri poſſet maxima diligentia excolerentur; Sed quod erat pro illis ad Concilii Tridentini leges Patavii excitatum jam olim Seminarium, vel ob aedium anguſtias, vel ob annui proventus tenuitatem paucos admodum pro Dioeceſis amplitudine ferebat alumnos. De

illo itaque amplificando, augendoque conſilium primum capiendum fuit, quod etſi magnis difficultatibus impeditum videbat, ſtrenue tamen rem aggreſſus, brevi, ac feliciter abſolvit; Nam ingenti pecuniae vi Seminarii aedes a veteri anguſtiore loco in commodiorem, amplioremque transtulit, atque ita perfecit, ut novus aedificii conditor videri poſſet, ac dici. Proventus deinde multos adjecit; Nam collata ſibi jampridem Sacerdotia eidem Seminario Apoſtolicae Sedis adprobatione conceſſit, atque in perpetuum addixit, ut auctis ſubinde cenſibus amplius centum in eo ſuſtentarentur alumni.

Rebus ita conſtitutis, adoleſcentes non antea in Seminarium admittebat, quam eorum genus, indolem, mores explorata diligenter haberet. Tum quo animo ad Eccleſiae ſtipendia accederent; num certo divini Numinis afflatu, an caeco ineuntis aetatis impetu; num honoris, commodi, aut lucri cauſa, an, quod unum Eccleſiaſticis viris ſpectandum, divinae gloriae, tum ſuae, aliorumque ſalutis ſtudio exquirebat. Cumque non ſibi eos tantum, ſed Eccleſiae utiles eſſe oporteat, ingenium quoque ad optima ſtudia accommodatum requirebat; quod ſi aptos, idoneoſque comperiſſet, Seminarii Praefecto, egre-

egregiiſque Profeſſoribus inſtituendos tradebat. Iiſdem porro legibus cum alumnos, tum Profeſſores, ceteroſque Seminarii miniſtros regi voluit, ac gubernari, quas Carolus Borromaeus ab ſe conditis Seminariis conſtituerat, addita tamen illis peculiari quadam ſtudiorum methodo, ſeu compendiaria de tradendis diſciplinis inſtitutione, quam pro ſua in iis omnibus eruditione Gregorius ipſe conſcripſerat.

Conquiſitos undique, largiſque ſtipendiis conductos diſciplinarum fere omnium Profeſſores egregios ſcholis a ſe ample magnificeque inſtructis, apertiſque praefecit. A Latinae, & Graecae linguae inſtitutionibus alumnorum ſtudia iniri juſſit, quo via illis ad omnem literaturam, atque elegantiam ſterneretur. Hebraicam, eique affines Syriacam, atque Chaldaicam ad eas percipiendas idoneis tradi voluit, quod intelligendis, atque interpretandis divinis Scripturis non exiguam utilitatem atque ſubſidium afferre poſſe intelligeret. Cumque animo perluſtraſſet vaſtiſſima Orientis ſpatia, in quibus Arabica fere ſola dominatur, alicubi vero Turcica, & Perſica, harum quoque Linguarum magiſtros conſtituit, qui chriſtianae militiae tyrones pro catholica Fide pugnaturos praemunirent, atque inſtrue-

ſtruerent armis adverſus Satanae imperium iis in regionibus late diffuſum. Humanioribus literis ſatis imbutos ad ſeveriora Philoſophiae, Matheſis, atque utriuſque Juris ſtudia traducebat; impenſius tamen divinarum rerum ſcientia, atque Eccleſiaſtica Hiſtoria eos informari, imbuique cupiebat. Hanc enim cum a prima adoleſcentia diligenter ipſe coluiſſet, ita deinceps amavit, ceteriſque praetulit ſtudiis, ut eam domi praelegere, ac Clericis nonnullis explicare a ſua dignitate non putaret alienum.

Ut autem ſanioris doctrinae depoſitum per Apoſtolorum manus ad Succeſſores Epiſcopos delatum, iiſque a Paulo cum primis commendatum, qua maxima poſſet fide, ac diligentia tueretur, magnopere cavit, ne Theologiae Profeſſores, vel auditores novitatis ſtudio abrepti circumferrentur omni vento doctrinae, ſed eum unum ſequerentur ducem, atque magiſtrum, cujus veſtigia qui fideliter preſſerit, a veritatis tramite deflexiſſe nunquam inventus ſit. Itaque Theologiae Profeſſoribus hanc legem indixit, ut „ ſe„ querentur omnino doctrinam S. Thomae, quam „ diſcipulis non ſcribendo, ſed ex ejuſdem Do„ ctoris Summa typis impreſſa explicando tra„ derent, eumque propterea non ſolum pro„ prium,

„ prium, ſed unicum Doctorem haberent, & „ ponerent in eo operam, ut auditores erga il- „ lum quam optime afficerentur: *& poſt pau-* „ *ca*: Explicatis, *inquit*, S. Doctoris articulis, nul- „ lam aliam quaeſtionem inſtituat, difficultati- „ bus tamen non omiſſis; ſatiſque bonos Theo- „ logos ſe ſciat effecturum, ſi ſola doctrina S. Tho- „ mae ſuos Auditores erudiat „. Eo nimirum erga Angelicum Doctorem ferebatur ſtudio, ut ejus ſcripta, quaſi divinitus tradita, impenſe co- leret, ac veneraretur. Quo ſuum propterea er- ga ipſum cultum praecipua ſignificatione decla- raret, remque faceret Eccleſiae perutilem, niti- diſſimis Seminarii ſui typis S. Thomae Summam Cardinalis Cajetani, & Seraphini Caponii com- mentariis illuſtratam edi curavit: Sed cum opus magnifice, ac ſplendide a ſe inchoatum morte praeoccupatus abſolvere non potuiſſet, ejuſdem in Epiſcopatu Succeſſor Georgius Cardinalis Cor- nelius non minore ſtudio, ſumtuque perfecit, ac ſummo Reipublicae literariae bono vulgavit. Jam ne ullum ad fovenda, atque promovenda literarum ſtudia ſubſidii genus deſideraretur, optimis ad quamlibet diſciplinam comparatis li- bris ampliſſimam Bibliothecam inſtruxit, quam Seminarienſium ſuorum uſui perpetuo dedica- vit.

vit. Typographiam quoque illuſtrem, ac nulli Italicarum ſecundam aere ſuo comparatam eidem attribuit. In ea praeter omnis generis characterum varietatem, copiam, atque nitorem, quibus inſigniores Typothecae abundare ſolent, Orientalium quoque characterum matrices,& formas poſuit, quo perutiles Orientalium Miſſionum Miniſtris libri ederentur ad catholicae Religionis praeſidium, propagationem, & incrementum. Ac primum tanti beneficii veluti ſpecimen prodiit iis formis excuſus Alcorani Textus arabicis characteribus, iiſque pulcherrimis, ex arabico idiomate in latinum translatus a Ludovico Maraccio, appoſitis unicuique capiti notis, atque refutatione Tomis duobus in folio, convellendae Muhamedanae ſuperſtitioni, Turcarumque converſioni procurandae opus ſane accommodatiſſimum.

Profeſſoribus, alumniſque ad optima ſtudia incitandis, dici vix poteſt quantam adhiberet induſtriam, ac diligentiam. Seminarium frequens adibat, perſaepe etiam ex improviſo aderat praelegentibus, diſputantibus, colloquentibus. Praeſentia ſua opus urgebat, laudabat ſolertes, arguebat ſocordes, excitabat torpentes. Bis quolibet anno ſingulos ad examen vocabat;

Prae-

Praeerat ipſe, uniuſcuiuſque ingenium, atque in literis profectum exploraturus. Omnes demum paternis cohortationibus, promiſſis, aut praemiis ad aſſiduitatem, & curam in ſtudiis adhibendam incitabat. Quid? quod Profeſſoris partes aliquando obire tanquam hypodidaſcalus non gravabatur, perinde ac ſi una haec Epiſcopi eſſet occupatio? Eorum in primis ſtudium vehementer probabat, qui emenſo Theologiae curſu ſacrae eloquentiae operam darent, atque in ſcribendis, recitandiſque concionibus ſedulo verſarentur. Nihil ſcilicet optabat ardentius, quam ut idonei formarentur animarum Rectores, qui divini verbi miniſterio, in quo populorum ſalus magnam partem poſita eſt, ſpiritualis vitae ovibus ſuis alimenta praeſtarent. Eo in munere adoleſcentes exerceri omnes jubebat, experturus quid poſſet quiſque, quantumque in dicendo valeret. Ingentem vero ſolicitudinis ſuae fructum cepiſſe ſibi videbatur, cum eorum quempiam e majoris templi ſuggeſtu in magna auditorum frequentia, non ſine laude concionantem audiret. Vana tamen, atque in minimis ducens ornamenta ſcientiarum, niſi ſint cum vitae innocentia, ac religione conjuncta, nihil prius habuit, quam ut teneri adoleſcentium ani-

mi ad verae, ſolidaeque pietatis, atque virtutis cultum informarentur. Gravem ergo, probatiſſimumque Sacerdotem eorum moderatorem conſtituit, qui clericalis vitae diſciplina eos rite inſtitueret, chriſtianae doctrinae capita, Eccleſiae ritus, ac ceremonias accurate doceret, Sacramentorum uſu, orationis ſtudio, conſcientiae diſcuſſione, piiſque aliis exercitationibus, conſtituta horarum partitione, diligenter excoleret.

Neque contentus aliena fide, ac vigilantia, ipſe quoque in Rectoris, Magiſtrorumque partes, & onera deſcendebat. Nam totos aliquando dies in Seminario tranſigens, veluti cinctus filiorum corona Pater, inter alumnos familiariter verſabatur, ac pia miſcens colloquia, rerum ſpiritualium communicatione, & charitatem ſpirantibus verbis teneras mentes ad virtutem, pietatemque accendebat. Locum in eodem Seminario deſignaverat, quem *Aſceticum* vocabat: Eo ſecedere bis in anno ſpiritualibus exercitiis habendis alumnos omnes volebat: Parochos quoque, Sacerdoteſque Urbis, ac Dioeceſis una ſaltem in ſingulos annos hebdomada eo loci convenire juſſerat ad eaſdem exercitationes accurate obeundas.

At

At nunquam major ejus animum cura pulſabat, quam cum autumnalibus feriis e Seminario, & Urbe facta eſſet alumnis diſcedendi poteſtas. Timebat enim vero, ne ſub liberiore coelo remiſſione diſciplinae juvenili licentiae laxarentur habenae, ne qua labes haereret moribus, ne ſtudiis irreperet torpor, & languor pietati. Rus itaque conceſſuros Dioeceſanis Paſtoribus, ac Regionis Vicariis veluti cariſſima Eccleſiae ſuae pignora peramanter commendabat, ut eorum vitae conſuetudinem ſedulo obſervarent, caverentque, ne a ſuſceptis inſtitutionibus vel minimum deflecterent, atque aberrarent: Curarent in primis, ut Eccleſiam, catecheſim, & Sacramenta frequenter obirent, laicorum, ac foeminarum conſortia vitarent, in inceſſu demum, habitu, ſtatu, ac ceteris actibus ſuis nihil admitterent, quod ab Eccleſiaſtica honeſtate, gravitateque abhorreret. Ubi vero ad Urbem, ac Seminarii aedes revertendum erat, literis Parochorum manu, ac ſigillo obſignatis, a Vicario quoque foraneo ſubſcriptis, de toto illorum vitae genere admoneri, ac certior omnino fieri volebat, hoc ita ſibi cordi eſſe palam denuncians, ut ab iis id non optaret modo, ſed pro ſua auctoritate, & imperio exigeret prorſus, at-

que juberet. His optimus Paſtor paternae ſolicitudinis curis, ac ſtudiis illud eſt conſequutus, ut Patavinum Seminarium, cui par nullum fortaſſe Italia admiratur, cum bonarum artium, ſcientiarumque omnium Athenaeum, tum religioſorum aſceterium, ac domicilium quoddam pietatis, modeſtiae, religionis chriſtianae, atque Eccleſiaſticae diſciplinae ſchola videretur. Praeclari inde Sacerdotum manipuli prodiere in Eccleſiae Patavinae cultum, ornamentum, & decus, neque exigua tanti beneficii pars ad alias quoque per Italiam Eccleſias manavit. Nam deducti ex illo Profeſſores egregii, alumnique a multis Epiſcopis conquiſiti in eorum Seminaria inſtitutam a Barbadico ſtudiorum, ac diſciplinae formam tranſtulerunt magno ubique literarum ſubſidio, pietatiſque emolumento.

Seminario ſic conſtituto peramplum addidit aere ſuo pro nobilibus adoleſcentulis Collegium; ac ſimile alterum in agro Patavino condidit ad Sanctae Mariae de Treſto, ubi veteris, ſuppreſſique Monaſterii aedes magna pecuniae ſuae vi comparatas in ampliorem, atque elegantiorem formam reſtituit, atque alumnorum uſui deſtinavit. Optimis utrumque legibus, inſtitutiſque fundavit, ſtabilivitque, ac ne quis rei

rei domeſticae anguſtia impediretur, quominus eas artes addiſceret, quibus inſtrui, atque exerceri ſolent nobiil loco nati adoleſcentes, ſuis ipſe ſumtibus cum eos, tum Praeceptores alebat, ac regia plane munificentia dignis chriſtiano nomine, atque ſplendore generis moribus, & diſciplinis inſtituendos curabat. Quo uno, eodemque beneficio Eccleſiam ſimul, atque Rempublicam demerebatur, quod non modo praeclaras artes, & literas, ſed pietatem quoque, ac religionem promoveret, atque firmaret.

CAPUT XIII.

De adhibita in Clericis initiandis, atque Eccleſiae Miniſtris deſignandis cura, ac diligentia.

QUod Apoſtolus Tito ſuo praeceperat ne cuipiam cito manus imponeret, id Gregorius in primis diligentiſſime cavit. Eorum, qui ſacrae militiae nomen daturi eſſent, quemadmodum ſupra indicavimus, non genus modo, & parentes, inſtitutionem, & indolem antea explorabat, ſed quo ſpiritu, quove conſilio ad novae ineundam vitae rationem ducerentur ſedulo

dulo inveſtigabat. Permagni enim referre putabat qua quis vocatione ad clericalem ſtatum accederet, ne videlicet vitae ſuſtentandae neceſſitate, commodi, honoris, vel lucri ſpe, aut humanas alias ob rationes Eccleſiae ſtipendiis militare quaereret, ſed unam Dei gloriam ſpectaret, animarum ſalutem, atque Eccleſiae utilitatem. Haec ſacris initiari poſtulantibus graviter denunciabat ſerio cogitanda, & quos ad ea praeſtanda minus comparatos ſuſpicaretur, omnino rejiciebat. Semel autem admiſſos, atque in Clerum cooptatos non prius ad eccleſiaſticos gradus, & ordines provehebat, quam multis, certiſque experimentis eoſdem probaſſet. Magnam de eorum vitae probitate, conſuetudine, ac moribus diſquiſitionem inſtituebat, de contubernio, ac ſodalibus, de veſtibus, ac tonſura, de catecheſis, ac ſacramentorum frequentia, de Eccleſiae miniſterio, ac divinis officiis; deque ceteris pleriſque ad Clericorum diſciplinam pertinentibus inquirebat, & Parochorum, vitaeque ſpiritualis Magiſtri certum de iis teſtimonium requirebat. Nec ea diligentia, atque inveſtigatione contentus candidatorum nomina in Epiſcopali Tabulario deſcripta diu ante ordinationem palam exponi jubebat, quo publica in eos
fieret

fieret inquiſitio; Nec mores dumtaxat, ac indolem, ſed ingenium quoque, & doctrinam accurato diſcutiebat examine: ac primum ſingulos de chriſtianae doctrinae capitibus percunctari ſolebat, cum ut eorum in obeunda catecheſi diligentiam exploraret, tum ut rei omnibus neceſſariae ſtudium, atque exiſtimationem augeret. Paucis admodum bene, ac feliciter id cedebat periculum; repellebantur plures, quam qui admitterentur, pari eorum, & Cardinalis triſtitia, qui pro Eccleſiae amplitudine, ac neceſſitate laborare ſe identidem querebatur miniſtrorum penuria, nec tamen de ſua in adprobandis, admittendiſque ſeveritate quidpiam remittebat, ſatius ducens paucos habere, ſed aptos, quam ineptos multos, ac male moratos.

Sed in eorum praecipue mores inquirebat, ac ſcientiam, qui animarum curae, ac regimini admovendi eſſent, nec in eo tantam abs ſe curam, diligentiamque adhiberi poſſe unquam putabat, quantam rei gravitas poſtularet. Intelligebat nimirum Parochis officii ſui ignaris, aut negligentibus, continuo & populorum mores prolabi, & chriſtianam laxari diſciplinam, & religionis cultum exſolvi, atque convelli, vitia denique omnia, & corruptelas in Eccleſiam facile

cile invehi. Timebat propterea, ne in re graviſſima laberetur imprudens, ac poteſtate abuteretur ſua in amatiſſimi gregis perniciem, cujus portionem alienae fidei committebat. Ergo adhibita, quod in gravioribus aliis rebus faciebat, diligentiſſima praeparatione, imploratoque per multas preces, & hoſtias caeleſti praeſidio, tantam in eo ſpem ſtatuebat, quantum proprio diffidebat judicio. Id porro cavebat in primis, ne quidquam alienis tribueret officiis, ſtudiis, gratiae, humaniſque rationibus. Qui hac via, vel artibus animarum curam, ſeu quodpiam aliud Eccleſiae munus extorquere tentaret, cum in gravem ipſius offenſionem incurrebat, tum vero de omni ſpe excidebat omnis ejuſmodi rei ab eo in poſterum conſequendae. Ac quemadmodum ipſe nonniſi invitus, ac renuens Epiſcopatum acceperat, ita paſtorali cura indignos habebat, qui ambitu quodam ad eam poſtulandam accederent. Etſi autem candidatorum merita ſatis comperta apud ſe haberet, atque explorata, ut de ſingulis deliberare, ac ſtatuere per ſe tutiſſime poſſet, coacto tamen Examinatorum coetu horum magis quam proprio in optimorum delectu utebatur judicio. Denunciabat omnibus ſe nullius ſacerdotii collatorem, vel arbitrum
eſſe,

eſſe, ſed meritorum teſtem, atque declaratorem; Quod ſi digniorem praeteriiſſet, certam injuriam ei ſe facturum eſſe, debitoremque eidem futurum omnium fructuum, quos ab eo ſacerdotio excluſus non percepiſſet. Paribus tamen duorum meritis, eum praeferre ſolebat, qui nullos apud ſe propinquos haberet, fore ſperans, ut eorum loco ſibi adjungeret pauperes Eccleſiae bonis ſuſtentandos; dicere ſolitus, eos animarum curatores, qui conſanguineos alunt otio torpentes, ipſorum magis ruinae, quam firmamento ſtudere. Hos enim ſuperſtites, cum proventus nullos habeant, tum arte, atque induſtria deſtituti ſint, omni poſtea carere ſubſidio, quo vitam, familiamque ſuſtentent.

Quam vero in Parochis doctrinam cum vitae probitate conjunctam requirebat, eamdem a ceteris omnibus Poenitentiae Sacramenti adminiſtris exigebat. Alienis communicare ſe peccatis exiſtimaſſet, ſi minus probis, ac doctis de iis judicandis poteſtatem contuliſſet, & quanta maxime poſſet diligentia, de illorum ſcientia, integritate, ac prudentia experimentum, ac periculum accuratiſſimum non feciſſet. Semel autem ad id muneris adprobatos non uno ſatisfeciſſe ſibi putabat examine. Metuebat enim

L ne

ne quam ad primum ſui experimentum attulerant ſtudii contentionem, eo defuncti periculo ſenſim remitterent, & de lato doctrinae, ac ſcientiae ſuae judicio quaſi ſecuri, otio, deſidiaeque indulgerent. Ergo ut ſolicitos ſemper, ac ſtudiis exercitatos haberet, primum Congregationes de quaeſtionibus ad conſcientiae moderationem ſpectantibus inſtitutas, quae ſemel in menſe habebantur, adire omnes jubebat: Tum Parochorum adjutores, quos *Capellanos* vocant, alioſque Sacerdotes, de quorum ſtudiis certus omnino non eſſet, novo quotannis examine experiri, ac probare ſolebat.

Jam vero quam jugi, aſſiduaque lectione ex purioribus Ethicae Chriſtianae fontibus hauſerat ipſe morum doctrinam, eam ut omnes imbiberent, ac in Poenitentiae ſacramento adminiſtrando adhiberent, omni ope, ſtudioque curabat. Cavebat ſcilicet, ne conſcientiarum moderatores, ac judices eos conſectarentur duces, atque magiſtros, qui crudeli benignitate vulnera palpant, non reſecant, blandiuntur aegris, non medentur, anguſtam laxant peccantibus ſalutis viam, & falſa ſecuritate deluſos in aeternum ſecum interitum facile abripiunt. Quapropter exitioſam illam, quae tum maxime in doctrinam morum

morum irrepſerat opinandi licentiam, eoſque abſolvendi facilitatem, qui in proxima verſantur peccandi occaſione, graviter eſt inſectatus; Utque eam procul ab Eccleſiae ſuae finibus veluti animarum exitium, ac peſtem arceret, publico cavit edicto, ne quiſpiam ſub anathematis poena, ſuique muneris privatione ſacram iis abſolutionem impenderet, qui in proximo labendi periculo, aut prava peccandi conſuetudine verſarentur. Neque vero (monebat ipſe literis ſuis) tam leviter iis credendum, qui vitae emendationem pollicentur, quippe qui verba dent Sacerdoti, ut ab incauto indulgentiam extorqueant, ſed, ut eſt in proverbio, facile ad vomitum revertantur. Itaque non antea expiari, atque abſolvi jubebat, quam occaſiones ſummoviſſent, conſuetudinum vincula abrupiſſent, ſcandala abjeciſſent, certa demum emendationis argumenta exhiberent. Poenitentes denique ipſos per Jeſu Chriſti Redemptoris viſcera obteſtabatur, ne ſe blandis, ſed exitioſis doctrinis deliniri, ac falli permitterent: ſic vero exiſtimarent, atque ſtatuerent, eos qui alia ex aliis peccant, atque in confeſſa ſaepe flagitia revolvuntur, id demum efficere, ut remedium ad hominum ſalutem inſtitutum in ſuam ipſorum pariter, &

 Sacer-

Sacerdotum molliter ipſis conniventium perniciem convertant. Haec porro cum diceret, atque inculcaret vir leniſſimae indolis, haudquaquam illorum ſeveritatem probabat, qui obliti cujus locum teneant, miſeros homines ad ſalutare poenitentiae tribunal accedentes male accipiunt, & detecta ſibi eorum vulnera, non uti miſericors ille Samaritanus oleo fovent ac vino, ſed aceto, ut ita dicam, exaſperant, ac durius contrectantes faciunt multo graviora. Quápropter Sacramenti Poenitentiae diſpenſatoribus temperamentum quoddam rigoris ac lenitatis commendare ſolebat, quod neque ab auſterioribus theologis laxioris indulgentiae nomine reprehendi, nec a benignioribus praepoſterae ſeveritatis nota inſimulari poſſet, atque traduci.

CAPUT XIV.

De variis ab eo inſtitutis Congregationibus.

QUam ad Cleri diſciplinam, & ſtudia literarum provehenda principio adhibuit diligentiam, & curam, novis S. Caroli exemplo inſtitutis confirmavit, & auxit, quo majora ſibi Eccleſiae adminiſtrandae ſubſidia compararet. Primum enim cum uberem in agro ſibi commiſ-

ſo

ſo animarum meſſem, operarios vero ad eam colligendam paucos eſſe animadverteret, divini Patrisfamilias exemplo quoſcumque ad id operis idoneos viros invenire poſſet, ſemel atque iterum advocavit. Commune Clericis, & Sacerdotibus conflavit in Seminario collegium ad regularis ſimilitudinem inſtituti, cui dare nomen qui vellent, ſub certis legibus adſcribebantur. Liberalium artium ſtudio, atque eccleſiaſticis diſciplinis pro ingenio quiſque ſuo diligenter imbuebatur, atque ad varia Eccleſiae miniſteria initiabatur. Epiſcopo multo magis quam ceteri addicti, ab ejus nutu, & arbitrio pendebant omnes ad varia pro Eccleſiae neceſſitatibus munera obeunda comparati. Subſidiarium itaque habebat in his Sacerdotum manipulum, ex quo vel adhuc viventibus Parochis adjutores, vel morte ademptis ſucceſſores, collegiis moderatores, ſcholis magiſtros, populis concionatores, ſacrorumque miniſtros extemplo ſufficeret. Eos, qui tenuiſſimis, vel nullis rebus domeſticis eſſent, alebat Epiſcopus aere ſuo; ſacris quoque initiabat, *Menſae* titulo, ut vocabat, *Gregorianae*; Sacerdotiis deinde augebat, vel animarum regimini, & curae pro meritis praeficiebat. Ad ejus ſimilitudinem ſocietatis, quam Mediolani S. Carolus

rolus inſtituerat, hanc ſuam Gregorius Oblatorum Congregationem appellari voluit; cumque Deo bene juvante operariorum numerus in dies augeretur, & fructus, amplioribus aedibus non exiguo ſumtu comparatis, ac Seminario adjunctis omnes excipiendos curavit.

Alium praeterea Cleri univerſi coetum ſub Eccleſiaſticae Congregationis titulo, quam Bergomi quoque inſtituerat, Patavii coegit; Clericos ſcilicet, ac Sacerdotes univerſos hebdomadae cujuslibet quinta feria ad S. Egidii Parochiales aedes convenire juſſit poſt veſperas. Propoſitis primum e Sacra Scriptura, tum ex morum doctrina quaeſtionibus explicandis tempus aliquod impertiebant: de ritibus inde ſacris, atque Eccleſiae caeremoniis differebatur. Sacra demum lectione, atque aeternarum rerum ad certam horam meditatione abſoluta conventus dimittebatur. Quae ut ex ordine fierent, conſtitutis univerſi coetus Rectore, ac miniſtris, certas leges, ac regulas ipſe praeſcripſit, quae inter paſtoralia ejuſdem documenta typis vulgata circumferuntur.

His tamen, quas dixi, Congregationibus gravitate rerum agendarum praeſtabat, ac dioeceſanae Synodi loco aeſtimari poterat Parochorum Urbis,

Urbis, ac Dioeceſis conventus, quem ſingulis annis habebat, ut muneris quiſque ſui rationem redderet, atque Eccleſiae ſibi commiſſae ſtatum explicaret. Seorſim primum ſingulos audiebat, ac de iis percunctabatur, quae Epiſcopi auctoritatem, & curam expoſcerent: Tum publico in omnium coetu agebat de Cleri diſciplina, de populi moribus, de Paroeciarum incommodis, atque neceſſitatibus, quarum explicatio communi indigeret conſiliq. Si quid emendandum, ſtatuendumve fuiſſet pro Eccleſiarum regimine, proferebatur in medium, tum ipſe auditis ſuffragiis deliberabat, ac decernebat. Omnes demum amantiſſimis verbis ad Gregis curam, & Cleri diſciplinam cohortatus coetum ſolvebat.

Permagni quoque referre intelligens ad diſciplinae cuſtodiam, atque propagationem ſacerdotales illos, ac clericales conventus, quos Vicarii Dioeceſani in ſua quiſque regione ſingulis menſibus ex Provincialium Synodorum inſtituto, ac praeſcripto cogere debent, in id magnopere incubuit, ut ad eas regulas, quas edito libello conſtituerat, omnino celebrarentur. In iis Parochi, ceterique Eccleſiaſtici ordinis ſacra veluti quadam in palaeſtra ad omnem rei eccleſiaſticae perfectionem exercebantur. Agebatur enim de

de morum diſciplina, & conſcientiarum moderatione, de ritibus, ac caeremoniis ſacris, de concionandi ratione, deque variis chriſtianae pietatis, ac religionis officiis rite praeſtandis, ac promovendis. In Urbe quoque cum Parochos, tum ceteros audiendis confeſſionibus deſignatos Sacerdotes ſingulis menſibus in unum convenire locum jubebat, & propoſitas a generali Praefecto quaeſtiones de moribus accurate tractari, & ſingulorum reſponſa in commentaria referri, ex quibus deinde *Cleri Patavini deciſiones* conflatae ſunt, quae Cardinalis Barbadici nomine a Johanne Clericato typis vulgatae leguntur. His porro conventibus, quibus Cardinalis ipſe plerumque intererat, veluti Senatu quodam ſapienter admodum, ſanctiſſimeque regebatur Eccleſia, & Clerus ad optima diſciplinae, ſtudiorum, ac religionis officia exercitatus, atque compoſitus magnam apud laicos homines obtinebat auctoritatem ad eos in officio continendos, & cohortandos ad vitam chriſtiano more traducendam.

Addenda eſt iis Clericorum Conventibus non inſtituta quidem a Barbadico, ſed novis ſanctionibus aucta, ampliſſimeque propagata Congregatio cum laicis, tum eccleſiaſticis viris con-

ſtans.

ſtans. Ex Urbanis, Dioeceſaniſque omnibus catecheſis chriſtianae ſcholis Generalis una conflata erat, ſeu potius delecta, cujus auctoritati, & imperio ſuberant ſingulae, atque parebant. Illius generalis Prior ab Epiſcopo deſignabatur, cui Aſſeſſores duo addebantur, ac duo Conſervatores cum Superiore. Tum ſex pro urbanis ſcholis Viſitatores, totidemque Regionarii pro ſcholis Provinciae; alii denique inferiores Miniſtri graves moribus, pietate praeſtantes, inſtitutique tuendi, ac propagandi ſtudioſiſſimi. Deſignatum in locum hi conveniebant Epiſcopo Praeſide feſtis diebus, de rebus acturi ad ejuſdem Societatis regimen, atque incrementa ſpectantibus, & quidquid operi neceſſarium videretur, opportune providebant. Mirifice auctis, ac propagatis in Urbe, ac Dioeceſi univerſa Catechiſmi ſcholis, & ſocietatibus; generalem hanc earum Congregationem novis, opportuniſque regulis communire voluit Cardinalis, quas inter cetera ejuſdem documenta typis pervulgatas habemus.

Praetereunda demum hoc loco non eſt, quam a D. Carolo acceptam in ſalutarem Eccleſiae ſuae uſum deduxit Gregorius Patrumfamilias convocatio. Ne debita paternae curae officia a chriſtianis parentibus negligerentur, utque hi liberos,

ros, familiamque ſuam ad Dei cultum, & chriſtianam diſciplinam recte inſtituerent, eos ſingulis in Paroeciis coram Rectore ſuo ſemel in menſe convenire jubebat. Is vero domeſticae inſtitutionis praecepta diſerte explicabat, monebatque, ut de propria, filiorumque, ac familiarium ſalute in primis ſoliciti ſe illis magiſtros, & duces voce, & exemplo ad vitam probe, ſanteque traducendam praeberent: Curarent ut nemo quiſquam de familia chriſtianae religionis praecepta, & myſteria ignoraret, quam ob cauſam illius ſcholas adire omnes compellerent, domi etiam inſtruerent, ad divina feſtis diebus officia adeunda, Sacramentaque frequentanda continenter urgerent. Foverent in domo pacem, concordiam, & charitatem. Haec atque hujuſmodi alia ſalutis monita non in eo coetu ſolum, atque colloquio inculcari, verum etiam aſſidue ingeri populo a Parochis, Concionatoribus, & Confeſſariis vehementer optabat, ac porro jubebat. Ac ne parentum memoria facile exciderent, ſed omnium ſemper oculis obverſarentur, ea documenta, quae ad chriſtianae familiae regimen S. Caroli Borromaei juſſu egregio libello comprehenderat Petrus Giuſſani, typis recudi, ac pervulgari curavit.

CA-

CAPUT XV.

Praecipua Gregorii ſtudia ad componendos populi mores, & procurandam gregis ſalutem.

QUae ad generale Eccleſiae Patavinae regimen, atque unius fere eccleſiaſtici Ordinis inſtitutionem pertinent, hactenus indicavimus; nunc quae conſilia, quae ſtudia, quas curas, & artes ad promovendam Gregis univerſi ſalutem Barbadicus attulerit, paucis exſequemur. Ut erat ille divino quodam ardore ad animarum ſalutem omni ope quaerendam incenſus, nihil in eo ſolicitudinis genere facere ſe poſſe exiſtimabat, quod infra rei dignitatem, gravitatemque non eſſet. Nihil propterea inexcogitatum, intentatumque reliquit, quod ad chriſtianam diſciplinam in populum inducendam, vel in eodem retinendam pertinere, ac conferre poſſe putaret. Paſtoralem viſitationem ad id cum primis non modo utilem, ſed neceſſariam eſſe intelligens, eam bis in anno inſtituere, atque obire ſolebat, ac tanta celeritate, ac diligentia quam longe, lateque patet Provinciam univerſam luſtrabat, ut ad conſtitutum a Tridentino Con-

cilio tempus viſitationem omnem abſolveret. In qua quos ſubierit labores, quae, & quanta pertulerit incommoda, ſupra indicavimus, cum de amplitudine Patavinae Dioeceſis, deque viarum, atque itinerum difficultatibus diceremus. Ad haec porro accedebant graviſſimae viſitationis curae, imbecilla hominis valetudo, vergenſque in ſenium aetas, vigiliis etiam, ceteriſque afflictationibus debilitata, & attrita. Quos vero ex iis laboribus ceperit animarum fructus literis ipſe ſuis ad Tridentini Concilii interpretes Cardinales datis Anno MDCLXXXIX. parce quidem, ac modeſte, ut ſemper de ſe, rebuſque ſuis, ſatis tamen aperte indicavit: Scribebat enim, ſe magna bonorum omnium gratulatione, luſtrata provincia, inveniſſe Parochos ubique ſolicitos, plebem chriſtiana catecheſi optime imbutam, Templa ſatis nitida, atque ornata, adeuntium frequentia, Sacramentorum uſu, evangelica praedicatione religioſe celebrata, gregem denique univerſum ad Chriſtianae pietatis officia praeclare inſtitutum.

Haec ſanctiſſimus Paſtor longo temporis ſpatio ingentibus curis, atque laboribus, qua verbo, qua exemplo, qua optimis legibus, atque inſtitutis Eccleſiae ſuae commoda, atque incrementa promovit. Curarum autem omnium ad id perficiendum, aſſe-

aſſequendumque potiſſima fuit chriſtianae catechesis ubique locorum inſtituendae, ac propagandae ſolicitudo. In id cogitationes, & conatus omnes convertit, nec eorum dumtaxat, quorum utebatur miniſterio, ſed etiam operam ipſe ſuam continenter impendit. Quibus itaque in oppidis, vicis, ac locis apertae non eſſent chriſtianae doctrinae ſcholae, quamprimum aperiendas curavit, eoque ſucceſſu provexit, & auxit, ut qui Epiſcopatus initio viginti quatuor earum dumtaxat invenerat, jam anno MDCLXXXIX. quadraginta duas in Urbe, CCCXIV. in agro numeraret. Earum porro frequentiam, ſtudium, progreſſioneſque vehementer urgebat. Curabat quamplurimos cujuſvis aetatis, ac conditionis homines adſcribi Sodalitio divini operis cauſa inſtituto, adſcriptoſque operam illi navare ſedulam, ac continentem. Scholas luſtrabat feſtis diebus, ac diligenter recognoſcebat; ad puerorum ipſe inſtitutionem mira facilitate, & patientia ſe demittens. Id muneris aliis quoque mandabat, utque ad ſe accurate referrent quae viſitando cognoverant de omni earumdem ſcholarum ratione, ac progreſſione volebat. Nec illud eſt praetereundum, quod ſingulis nubendis puellis, quae facto de omnibus chriſtianae doctrinae

ctrinae capitibus diſputandi periculo, egregie ſe illis imbutas oſtenderent, dotem qua in matrimonium collocarentur ſtatuerat. Reliquis vero ſcholas ipſas ſedulo adeuntibus lectum nuptiarum tempore dono dabat. Paucis omnia complecti liceat Patavinae Academiae Theologorum verbis in Epiſtola ad Clementem XI. P. M. qua nihil ad ſanctiſſimi Epiſcopi, & Cardinalis ſolicitudinem ea in re declarandam afferri certius poteſt, ac luculentius: „ Totus, inquiunt, ubi-
„ que ſeu praeſens, ſeu per Epiſtolas erat in
„ eo, ut ſtatis diebus ad chriſtianae doctrinae
„ ſcholas in Templis tum pueri, cum natu ma-
„ jores frequentiſſime convenirent, unde & fa-
„ ctum eſt, ut bubulcos, & ruſticanos, ac quon-
„ dam rudes, non in aequis tantummodo, ac pla-
„ nis locis, ſed vel in altis montibus, rupibuſ-
„ que fidei regulis, diviniſque praeceptis admo-
„ dum inſtructos, & in rebus ad aeternam ſa-
„ lutem ſcitu neceſſariis ejus opera, ſudoribus-
„ que plane Theologos admiremur.

In id praeterea, quod eſt graviſſimum, ac proprium Epiſcopi munus, evangelicam nimirum praedicationem toto pectore incumbebat, nec ſibi committendum unquam putavit, ut vel graviſſimis diſtrictus occupationibus tam gra-
vem

vem miniſterii ſui partem relinqueret, vel in alios transferret. Inſtitutum itaque ſemper retinuit, ut feſtis pleriſque diebus, vel ex ambone, vel ex Altari ad populum verba faceret apoſtolico ſane ſpiritu, ac divino quodam ardore, quo audientium animos commovebat vehementer, atque a vitiis abductos in ſalutis viam facile revocabat. Concionandi munus cum Parochis, quorum eſt praecipuum, ac ſingulare, tum Presbyteris omnibus magnopere commendare ſolebat. Eos in primis continenter urgebat, ut paſcerent verbo Gregem, nec paſtoralem vocem ovibus unquam ſubtraherent ſuis: tum alios quoſque, qui idonei viderentur, ad id non hortabatur modo, ſed veluti admotis ſtimulis incitabat. Eo in munere ut Sacerdotes, Clericique exercerentur, provide, ac ſapienter inſtituit, ut ſingulis per annum Feſtis e majoris Templi ſuggeſtu eorum quiſque in orbem de rebus ſacris concionem haberet, & quantum dicendo valeret, experiretur. Concionum autem argumenta ponebat idem ipſe Epiſcopus, quae in tabellam relata ſub anni vulgabantur initium typis impreſſa, atque hoc titulo inſcripta: *Philoſophia Christiana explicanda in Cathedrali Patavina a Clero ejuſdem Civitatis, ac Dioeceſis*. Apoſtolicos viros non Adventus

ventus dumtaxat, ac Quadrageſimae tempore; ſed alias ſaepe, quo opus eſſet, per Dioeceſim ad ſacras miſſiones obeundas mittebat. Eoſdem per Civitatis plateas, & vias, ac per ipſos meretricularum vicos divinae legis explicare praecepta, jacenteſque animas in flagitiorum coeno evangelicae vocis tuba excitare, divini verbi virtute erigere, atque ad ſanitatem revocare jubebat.

Quibus tamen id miniſterium delegaret quam diligentiſſime expendebat, ac ne res ſanctiſſima violaretur, nemini eam committebat, qui ſacrae doctrinae copia, virtutumque omnium praeſidio, atque ornamentis inſtructus non eſſet. Singulos ad ſe arceſſitos de munere bene gerendo graviter admonebat, earumque rerum capita, quae altius auditorum animis inſigendae eſſent, indicabat, atque ut res non curioſas, aut difficiles, ſed vulgares, ac planas ad populi ingenium conſectarentur, atque explicarent, magnopere hortabatur. Ut ea demum, quae verbi Dei miniſtrum decent ob oculos propoſita haberent, edita jam pridem a Gabriele Cardinali Paleotto Antiſtite Bononienſi pro Dioeceſis ſuae Concionatoribus ad ſacrae praedicationis munus rite obeundum documenta, Seminarii ſui typis edi, vulgarique curavit.

Jam

Jam vero cum a diſtantibus, ac longe poſitis ovibus Paſtoris vocem excipi, audirique non poſſe animadverteret, veterem illam ab Apoſtolis uſque derivatam rationem adhibuit, ut Gregem univerſum per literas adloqueretur, & ſcripto paſceret, atque erudiret, quos voce, & ore non poſſet. Paſtorales itaque Epiſtolas pro rerum, ac temporum varietate ad Clerum, populumque dabat, quo locorum quoque intervallo disjuncti filii audirent diſciplinam Patris. Sic perenni quodam praedicationis, atque cohortationis genere, quae ad communem omnium ſalutem pertinent, oves ſuas edocebat, a vitiis revocabat ad bonam frugem, a diſſolutis moribus ad pietatis officia traducebat, ſanctiſſimis monitis, ac praeceptionibus ad chriſtianae vitae ſanctitatem incitabat. Exſtant earum Epiſtolarum exempla Patavini Seminarii typis edita, atque uno volumine comprehenſa, quae omnium oculis expoſita, ac ſubjecta cum ſint, praeconio, & commendatione noſtra non egent; ſatis quippe ſua ſe praeſtantia, eruditione, atque utilitate commendant; ſunt enim regendae Eccleſiae, ac muneris Epiſcopalis rite obeundi praeclara documenta, in quibus abſolutam, perfectamque ſacrorum Antiſtitis, atque

ſanctiſſimi animarum Paſtoris imaginem, hoc eſt ſe ipſum Barbadicus expreſſit, ceteriſque ad imitandum reliquit.

CAPUT XVI.

De reſtituta, & aucta Sacrarum Virginum diſciplina.

VIrgines quoque ſacras, illuſtrem Gregis ſui portionem, praecipuo, quo decet Epiſcopum, ſtudio regendas ſibi, perficiendaſque propoſuit. Non tam laboris, quam occupationis, ac moleſtiae plena ea ſolet eſſe procuratio; ad ceteras tamen muneris ſui curas hanc ſibi ſedulo adjungens, in ea cum primis ſumma eſt vigilantia & charitate verſatus. Ab ipſo Bergomenſis Epiſcopatus exordio ſolutam admodum in ſubjectis ſibi monaſteriis diſciplinam offendit, nec paucas profeſſionis ſuae immemores virgines ab inſtituto aberrantes invenit. Eas aſſiduis cohortationibus, ac paternae charitatis officiis ſanitati reddere, atque ad veterem diſciplinam revocare curavit; ſed gravia, & multa, quae vetuſtate roboratas conſuetudines convellere volenti expectanda ſunt, incommoda ſub-

ſubiit, remque magnis difficultatibus impeditam, in qua non leviter laborandum eſſet, perficiendam ſuſcepit, obluctantibus hinc, quae in laxioris vitae inſtituto jam conſenuerant, Monialibus, repugnantibus inde, atque obſiſtentibus externis nonnullis, qui partium ſtudio incitati, obfirmatis, diſſolutiſque virginibus plus aequo favebant. Extricavit tamen, ac vicit injectas difficultates Gregorii induſtria, atque conſtantia, idque zelo ac prudentia demum eſt aſſequutus, ut compreſſa vivendi, converſandique licentia ad proprias cujuſque leges, religioſaeque diſciplinae formam Monaſteria ad unum omnia redigerentur.

Erat in Bergomenſi Dioeceſi vetus ſub regula S. Benedicti virginum Monaſterium procul ab Urbe inter nemora poſitum, ut ab hominum frequentia disjunctum, ita multis objectum incommodis, atque obnoxium periculis. Virginum in eo agentium numerus adeo imminutus decreverat, ut divinis obeundis officiis, ſervandiſque inſtituti legibus par omnino non eſſet. Egit itaque omni ope, ac contentione Gregorius apud Apoſtolicam Sedem, Venetumque Senatum, ut publico ſupprimeretur decreto: Tum exiguum illarum virginum manipulum in Civitatem traduxit, atque in ejuſdem Ordinis Monaſterio, do-

nec iis novum compararetur, meliori diſciplina inſtituendas collocavit.

Qui de ſuis tam erat ſolicitus, ad alienas quoque paternae charitatis curas extendit. Finitimam Dioeceſi ſuae Mediolanenſem Provinciam late vaſtabat Gallorum exercitus ſub Franciſco Eſtenſi Mutinenſium Duce anno MDCLVIII, Gregorii vero Epiſcopatus ſecundo. Gravi, praeſentique periculo exterritae, quae Trevillii ſanctimoniales erant, fuga ſibi conſulendum putarunt. Omnes igitur e Monaſterio dilapſae in Bergomenſem agrum commigrarunt incertae prorſus quo loco conſiſtere poſſent. Id ubi renunciatum Gregorio fuit, continuo lectas, nobilesque matronas ad eas ſubmiſit, ut profugas, palanteſque oviculas in Urbem deducerent. Deductas porro humaniſſime excepit, & aliam alio in Monaſterio ad exitum uſque calamitatis retinuit, ac ſuſtentavit.

Haec vigilantiae, ac ſolicitudinis fere praeludia, qua ad Patavinam Sedem translatus in earum cuſtodiam, ac diſciplinam deinceps incubuit. Nam Monaſteria quaſi hortum quemdam concluſum fidei ſuae commiſſum reputans, non exteriorem tantum ſepem cuſtodiendam, ſed interiorem magis culturam omni ſtudio exercendam ſibi propoſuit,

poſuit, nullam ratus poſſe adhiberi diligentiam ſatis magnam, ut quam virgines illae, abdicatis terrenis omnibus rebus, dederant Chriſto, integram fidem praeſtarent. Itaque literis primum amantiſſimis ad vota Deo reddenda, inſtitutique ſui leges accurate implendas excitavit, tum pauca ex multis, quae in Dioeceſanis Praedeceſſorum ſuorum Synodis ad earum gubernationem, ac regimen conſtituta fuerant, excerpſit, ac libello comprehenſa Conſtitutionum ſuarum titulo italico ſermone vulgavit, ut in eo religioſae vitae, ac conſuetudinis formam quaſi in tabula expreſſam haberent, ad quam ſe componerent, atque conformarent.

Viros praeterea graves, probataeque virtutis, ac ſcientiae iis dirigendis praefecit, qui non ſolum confitentes audirent, ſed chriſtiana catecheſi frequenter excolerent, vitae ſpiritualis praeceptis diligenter imbuerent, ad Sacramentorum uſum, atque frequentiam, ad divina meditandi ſtudium, ad paupertatis, modeſtiae, ſilentii, ac ſolitudinis amorem, ceterarumque virtutum officia ſedulo inducerent, atque inflammarent. Ut autem ea ex parte, ex qua Diaboli inſidiis maxime patet, virginalem pudicitiam communiret, collocutiones cum externis cujuſvis ſexus, feſtis praeſertim

tim diebus, tum maxime ſacro Adventus, & Quadrageſimae tempore omnino interdixit. Recurrentibus vero bacchanalium feriis, quibus major eſt inſaniendi, peccandique licentia, id ſtudebat in primis, ne in ſacrarum virginum aedes profani quidpiam ſubreperet. Quare tunc diligentius occludi fores, cuſtodiri rotas, & clathra jubebat, ne ullus ad colloquendum, ac ne proſpiciendum quidem aditus iis pateret. Quin etiam eo potiſſimum tempore, ut ſacris impenſius vacarent officiis, majoremque darent piis commentationibus operam, quo gravius offenſum irritatumque Deum propitiatum redderent, amantiſſimis verbis exhortari ſolebat. Muſicos ſonos, & cantus in earum templis prohibuit, ut ne inutili expenſa, ſumtuque Monaſteria onerarentur, multoque magis ne foeminarum faciles, ac debiliores animi mollis cantus illecebra deliniti aliquid de contentione virtutis, deque amore remitterent rerum divinarum. Feſtis diebus ne otio malorum fonte torpeſcerent, aut vanis, pernicioſiſque libris mentes corrumperent, quod erat a divinis officiis, aliiſve occupationibus vacuum tempus, ſacrae lectioni impendi jubebat, legendoſque aſceticos libros aut deſignabat ipſe, aut dono mittebat.

Mona-

Monaſteria adibat nunquam niſi gravem ob cauſam, malebatque univerſas alloqui, quam ſingulas. In paſtorali earum viſitatione, non modo Patrem, ſed veluti Matrem ſe cunctis amantiſſimam exhibebat. Singulas humaniſſime excipere, auſcultare patienter, cujuſvis explorare neceſſitates, querelas expendere, conſolari moerentes, dejectas erigere, confirmare nutantes, animare puſillanimes, urgere remiſſas, compeſcere inquietas, omnes denique ad fluxarum rerum contemptum, ad aeternarum ſtudium & ſpem, ad mutuae charitatis, & amoris Sponſi Jeſu incrementum ardentibus charitate verbis inflammare.

Religioſae in primis paupertatis, vitaeque communis ſtudium commendare ſolebat, utque *meum*, ac *tuum* religioſorum coetuum peſtis, atque pernicies ab iis penitus tollerentur, ac ne quidem in Monaſterio ea nomina uſurparentur, magna contentione ſuadebat; quod cum ſaepiſſime inculcaret, hoc interdum utebatur proverbio: *Ollam magnam benedicit Deus*, ſignificans fore gratiſſimam Deo, eique probari quam maxime in religioſis familiis rerum omnium communitatem. Nulla ab eis munera, ac ne bellaria quidem accipiebat: pauculos tamen aliquando fructus e domeſtico earum horto decerptos urba-

urbanitatis cauſa non recuſavit. Praecipua demum erat ſolicitudine ne quid ipſis deeſſet ſive ad temporalis vitae ſubſidia, ſive ad innocentiae, ac diſciplinae cuſtodiam, virtutiſque profectum, ac quietis, & pacis, mutuaeque concordiae, & charitatis augmentum.

CAPUT XVII.

De ſacris Comitiis, quibus interfuit eligendi Pontificis cauſa.

Cum omnes eo ſpectarent Gregorii cogitationes, & curae, ut ad Eccleſiae ſuae commoda, atque incrementa ſe totum referret, atque componeret, nec oculos propterea unquam ab ea dejiceret, gravius nihil ferre poterat, quam ſi ab ea vel tantiſper abeſſe cogeretur. Ab ipſo Pontificatus exordio id perpetuo fixum animo ratumque habuit, ut in adſignata ſibi ſtatione non locatus ſolum, ſed veluti defixus maneret; intelligebat nimirum quanti ad ſalutem Gregis interſit Paſtoris praeſentia, cum non ſine ovium detrimento, aut periculo poſſint alienae cuſtodiae, fideique committi. Quare ſuſceptum reſidendi onus, atque conſilium abjecit

cit nunquam, vel intermiſit, niſi quando aut Eccleſiae ſuae utilitas, aut Chriſtianae Reipublicae neceſſitas eum alio evocaſſet. Hanc porro neceſſitatem non ſemel attulit eligendi Romani Pontificis cauſa, quod indictis Cardinalium Comitiis intereſſe omnino debebat. Quatuor ab obitu Alexandri VII. ſuperſtite ipſo Gregorio, id genus Comitia celebrata ſunt, quibus ille adfuit ſingulis magna ſemper integritatis, ac prudentiae laude, raro praeterea, ac ſingulari de ſe quam demiſſe ſentientis animi atque humana deſpicientis exemplo. Statuerat is apud ſe ex omnibus Cardinalium officiis, ut ſplendore maximum, ita rei gravitate, ac momento difficillimum eſſe, & vero periculi plenum in ſupremo Eccleſiae moderatore eligendo ſuffragium ferre; tantum propterea, tamque arduum negotium non oſcitanter, ac temere, ſed omni cura, animique praeparatione ſuſcipiendum, ac peragendum. Primum ergo nihil eorum praetermittebat, quae ad divinam ſibi opem conciliandam valerent, ut quemadmodum olim Apoſtolis, ita ſibi a caeleſti luminum Patre oſtenderetur quem Deus elegiſſet. Cum vero electioni daretur opera, id unum curabat, ut ab humanis rationibus, ac privatis affectibus vacuus non alio, quam

cognoſcendae, efficiendaeque divinae voluntatis ſtudio duceretur. Eo itaque ſemper intendens, atque ad hoc unum conſilia, & actiones omnes ſuas convertens, non modo remotus ab omni ſtudio ambitionis, ſed etiam curae, ac ſolicitudinis expers fuit. Nam ſibi uni intentus, ac ſecum habitans, non quid de ſe, aliiſve diceretur, ſed quem potiſſimum, quibuſque inſtructum virtutibus Pontificem deligi oporteret aſſidue cogitabat. Hoc ille animo ſingulis in Comitiis comparatus ad conſultationes, & ſuffragia expeditus, ac liber omnino accedebat.

Id autem a Deo precibus contendebat aſſiduis, ut ſupremam dignitatem a ſe quam longe amoveret. „ Conſiderabat enim (cum Bernar-
„ do *Epiſt.* 237. *ad Eugenium*) gradum, & ca-
„ ſum verebatur; conſiderabat faſtigium digni-
„ tatis, & intuebatur faciem abyſſi jacentis de-
„ orſum; attendebat celſitudinem honoris, & e
„ vicino periculum reformidabat „: Sed tamen ab eo periculo non longe abfuit iis primum in Comitiis, in quibus de ſubrogando Clementi X. Succeſſore agebatur. Cum enim varias in partes, atque ſententias irent ſuffragatores, fuere complures, qui ob anteceptam de Cardinalis Barbadici integritate, juſtitia, ac diſciplinae zelo opinio-

opinionem, ſuis in eum ſuffragiis conſpirarent. Quod ubi praeſenſit Gregorius non ſolum eorum ſtudia non probavit, ſed, quod eſt difficillimum humanae naturae ad omnem excellentiam appetendam pronae, nullum non lapidem movit, quo eorum conſilia perverteret, aditumque ſibi omnem ad ſupremam dignitatem obſtrueret. Ergo iis, qui ſe ultro ſuffragatores, fautoreſve illi exhiberent, aut ea de re ſermonem ingererent, tantae ſe amplitudini imparem ex animo declarabat: tum ut propenſos in ſe animos abalienaret, atque ab omni de ſe promovendo cogitatione deduceret, ſeveritate quadam dicebat: „ Non ab hominibus Pontificem fieri, ſed „ a Deo, hominibus autem debendum nihil „: Hac ille animi conſtantia, & gravitate oblatam, atque occurrentem ſibi dignitatem propulſabat, nulli interea diligentiae, induſtriaeque parcens, quo formidandum onus in alium transferretur. Benedictum in primis Cardinalem Odeſcalchum, quem integerrima vita, caſtiſſimi mores, omniumque virtutum commendabant ornamenta, quibuſcumque poſſet officiis, conſiliis, atque hortationibus provehebat, Reipublicae Chriſtianae bene conſultum ratus, ſi eo Pontifice gubernaretur. Res demum pro votis feliciter ceſſit. Nam con-

Digitized by Google

ciliatis illi Patrum ſuffragiis omnium conſenſione Pontifex Summus renunciatus eſt Odeſcalchus XI. Kal. Octobris Anno MDCLXXVI. qui Innocentii XI. nomine aſſumpto communem hominum de ſe expectationem aequavit ſanctitate vitae, atque imperii felicitate.

Quanti porro faceret novus Pontifex meritorum, ſi quis alius, aeſtimator aequiſſimus, Barbadici virtutem, vel ab ipſo Pontificatus exordio declaravit: Nam de reditu ad Eccleſiam ſuam ſtatim cogitantem in Urbe retinuit, cum ut Patavinae Eccleſiae, ac dignitatis ſuae jura a quibuſdam impetita aſſereret in Romana Curia, ac vindicaret, tum ut componendis, tranſigendiſque inter Apoſtolicam Sedem, ac Venetorum Senatum negotiis, ac controverſiis nonnullis conſilium, operamque ſuam praeſtaret. Aegre admodum jubenti Pontifici morem geſſit Gregorius, & quantum induſtria, ac celeritate conniti potuit, curavit ut ſe ex iis quaſi vinculis expediret, atque ad cariſſimum ſibi Gregem redire maturaret. Abſens tamen corpore, ſemper animo, ac ſpiritu praeſens illi fuit. Semel atque iterum ab Urbe diſcedendi veniam precibus fere importunis ab Innocentio rogavit, ſed impetrare tam difficile erat, quam aegre Pontifex tanto viro,

viro, ejuſque conſiliis privari ferebat. Pervicit tandem Pontificiae indulgentiae tarditatem impatiens Gregorii charitas, ac ſemper anxium viſendi Gregis deſiderium, quod praeſens demum explevit, diuturnamque abſentiam multo cum foenore paſtoralis vigilantiae, ac beneficentiae compenſavit.

CAPUT XVIII.

Ut ſe geſſerit in Comitiis ab obitu Alexandri VIII. celebratis, quo Pontificatum deſugeret.

EO defunctus, quod memoravimus, Comitiorum periculo, novum ſubiit fortaſſe gravius, ac diuturnitate ipſa moleſtius iis in Comitiis, quae Anno MDCLXXXXI. poſt Alexandri VIII. mortem Romae celebrata ſunt. Aucta per Italiam, & trans Alpes quoque pervagata virtutis, ac meritorum ejus fama, jam omnium votis, & conſenſione ſupremus Eccleſiae Paſtor deſignabatur Gregorius. Tanta erat hominis exiſtimatio, ac reverentia, ut Eccleſiarum Hungariae Primas Cardinalis Collovitzius cum Epiſcopo Labacenſi de Barbadico mentione facta: „ Ego (*inquit*) „ licet admodum ſenex, ultro, libenterque pedes „ Romam

„ Romam contenderem, & ſi per me ſtaret, virum „ illum ſanctum in Pontificem eligerem„. Nec minor erat de illo apud pleroſque exiſtimatio. Qua die in Urbem eum advenire pervulgatum eſt, frequens populus obviam proceſſit, deſiderio videndi hominem vitae ſanctitate clarum, & futurae dignitatis augurio ſpectabilem. Is vero ut moleſtum ſibi occurſum vitaret, a communi via iter deflectens, atque aliam Urbis portam ingreſſus eluſit pium multorum deſiderium, atque occurrentium ſtudia fefellit; nam recta ad Vaticanum contendens in Conclave ſtatim ſe abdidit. Nec vero incertis dumtaxat rumoribus, populique ſermone res nitebatur, ſed magno quoque Cardinalium conſenſu. Tanta erat ejus virtutis apud omnes opinio, ut cum in ejus vitae rationem, moreſque cenſorio ſupercilio, quemadmodum hujuſmodi in Comitiis fieri ſolet, libere omnino, ac diligenter inquirerent, ejuſdemque omnia facta, dictave revocarent ad trutinam, nunquam tamen ne levioris quidem errati inſimulare hominem potuerint, vel quidquam in eo reprehendere. Igitur menſes fere quinque Cardinales ut minus triginta de Barbadico eligendo ita conſenſerant, ut obfirmata ſententia quotidianis in electionibus illi uni ſuffragarentur.

Eodem

Eodem tempore Jacobus Rex Angliae apud Magnum Ludovicum Galliarum Regem omni officiorum genere agebat, ne illius gentis Cardinales Barbadico adverſarentur, quod cum ſibi perſpecta eſſet optimi, ſanctiſſimique Cardinalis indoles, ac voluntas, nihil eo Pontifice adverſus regia jura, ac Regni tranquillitatem intentatum iri confideret, ac plane reciperet. Abſterrebat nimirum, ſuſpenſoſque habebat nonnullos ſeverior Gregorii diſciplina, metuebantque ne homo auſterioris virtutis tuendorum Apoſtolicae Sedis jurium zelo, Regum, ac Principum animos exaſperaret.

Haec ſedato, ac tranquillo prorſus animo audiebat Barbadicus, tantumque aberat, ut ſpeciem ullam vel geſtientis, vel turbati vultus praeberet, ut contra conſueto oris habitu virile mentis robur praeſeferente, aequabilem ſemper omnibus ſeſe exhiberet. Quam animi celſitudinem, ac firmitatem admiratus Federicus Cardinalis Columna, cum de alio ad Pontificatum promovendo deliberationem jam ante cepiſſet, mutato repente conſilio ſtudia omnia in Barbadicum ſua convertit. Is autem procul a negotiis, & ambitu, longeque a privatis congreſſibus ſuum in cubiculum ſaepiſſime abditus, occurſa-

curſationem, & colloquia vitabat, Deum quam poſſet ſtudioſiſſime rogans, ut a ſe graviſſimi honoris pondus averteret, cujus dignitatem, & munus tueri ſe poſſe diffideret. Quo autem periculo propior, eo ad deſugiendum cautior, ne officii quidem cauſa fautores, promotoreſque ſuos conveniebat, ſed nec ſuffragantibus gratias agebat. Cardinali Chiſio, qui ejus electionem cum primis urgebat, cum multis ei rationibus ſuadere conaretur, ut ſi efferre ipſe ſe nollet, ſaltem ne repugnaret, paucis reſpondit: „ Opus illud Dei eſſe, non hominum: ab illo, non ab iſtis expectandum,.. Alteri quoque Cardinali gravitate, & doctrina ſpectabili ab eo ſciſcitanti, ſi ipſe Pontifex crearetur, graviſſimum quoddam, atque impeditum negotium inter Apoſtolicam Sedem, & Catholicum Regem diſcordiarum cauſam, utrum ex juris ſeveritate an leniter acturus eſſet: Nihil omnino reſpondit. Rogatus iterum quid ea de re ſi in conſultationem a novo Pontifice vocaretur deliberandum ſuaderet; Id unum repoſuit, ut accuratis a Deo precibus lumen expoſceret, quo ea ſtatueret, atque decerneret, quae ad divinam gloriam, atque Apoſtolicae Sedis incolumitatem maxime conferrent. Hac ingenua, ac libera agendi, loquendique ratio-

ratione, animique conſtantia, ac firmitate incerti primum quid ab homine ſeverae adeo virtutis expectari poſſet, tum abſterriti, ac ſenſim abalienati electorum animi in Antonium Cardinalem Pignatellum converſi ſunt, iſque demum cunctis ſuffragiis, adnitente in primis Barbadico, Pontifex Summus renunciatus eſt, Innocentii XII. nomine adſcito. Ubi ad primum ejus complexum magna vultus, animique ſerenitate Gregorius acceſſit, ſenatoria quadam libertate monuit, demiſſeque rogavit, ut in eo quod commemoravimus negotio lente admodum, leniterque ſe haberet, quod haec agendi ratio ad controverſiam omnem feliciter dirimendam, & ad Eccleſiae pacem, dignitatemque Apoſtolicae Sedis tuendam maxime ſibi tuta, atque accommodata videretur. Ex certis haec omnia documentis, tum ex immortalis nominis Scriptore, ac Pontifice Benedicto XIV. deſcripſimus, qui praeclaro in opere de Servorum Dei Beatificatione Libro III. Cap. XXIII. num. 24. ex Cardinali de Poliniaco rerum in iis Comitiis geſtarum, cum adhuc in minoribus eſſet, oculato teſte accepiſſe ſe ſcribit.

Vix ſolutis Comitiis veluti qui ſaeva, ac diuturna tempeſtate jactatus e vado, ſcopuliſque

emerſit incolumis, oculis ad Coelum converſis Gregorius, ac gaudio exultans ingeminabat: *Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*: Mox in S. Pancratii aedes apud Excalceatos Carmelitas gratias, quas poſſet, maximas Deo acturus ſeceſſit, quod ingenti, ut ajebat, periculo ereptus, ſibi demum, ſuaeque Eccleſiae ſe reſtitutum videret. Cardinales ſubinde nonnullos, quos ſuae in Comitiis electioni adverſos habuerat, ut primum in eos incidit, leniſſimis verbis compellavit, habere ſe illis gratias maximas profeſſus, quorum munere, ac beneficio nimirum magno ſubductus eſſet periculo. Amicos vero, & familiares conquerentes ſe de publica expectatione, ſuaque de ſpe votiſque dejectos eſſe, graviter arguebat, ac mirari ſe vehementer dicebat, quod ea de re triſtarentur, de qua eos, ſi quidem ipſum diligerent, plurimum gratulari, atque immortales Deo gratias agere oporteret.

DE



Ant. Nessi inv. et del.

DE VITA, ET REBUS GESTIS BEATI GREGORII BARBADICI S. R. E. CARDINALIS

LIBER SECUNDUS.

EXteriorem hactenus Barbadici imaginem per ſumma rerum, geſtorumque ipſius capita primis veluti lineamentis adumbravimus: jam exhibenda eſt interior ejuſdem ſpecies, & ſanctitatis veluti anima, virtutes nimirum, quibus ille maxime eminuit. A Fide exordiemur, quae ut chriſtianae vitae principium, ita omnis ſanctitatis fundamentum eſt, radix & origo virtutum.

CAPUT I.

De Gregorii in Deum fide, ejuſque tuendae ac propagandae ſtudio.

NON ea tantum praecelluit fide Gregorius, quam credentibus omnibus ad ſalutem ineſſe oportet, ſed qua Epiſcopum caeteris praeſtare decet, ut ſit ipſe credentium Pater, Myſteriorum Dei diſpenſator, & cuſtos, ſanae doctrinae propugnator, & vindex, ut rudes in ea inſtruere, atque exhortari valeat, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, ſeque ipſum eo ad tutelam ſcuto valide praemunire, *quo poſsit omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*; Eph: 6. Quae niſi divino lumine, ac ſpiritu fidei plenus ſit, praeſtare vix poterit. Eo lumine colluſtratus Gregorius, quae a puero imbiberat religionis noſtrae myſteria non ſolum corde credidit ad juſtitiam, atque ore confeſſus eſt ad ſalutem, ſed ad eorum veritatem ſanguine quoque ſuo aſſerendam animo, & ſtudio ſemper flagrantiſſimo fuit. Eminebat in eo ardor praecipuus omnium mentibus inferendi ejuſdem fidei lucem, ac diſciplinam: eo propterea

terea quidquid eſſe poteſt curae, induſtriae, ac laboris diligentiſſime contulit, ut myſteriorum fidei, ac divinae legis ignorationem a commiſſo ſibi grege omnino diſpelleret. In id Parochorum zelum vehementer accendit: chriſtianae catecheſis ſcholas inſtituit, & auxit; eccleſiaſticos, laicoſque homines ad fovendum, propugnandumque ſalutare inſtitutum continenter excitavit: eorum ſocietates erexit, optimiſque legibus communivit. In domibus, in templis, in oppidis, & pagis, in vicis, & plateis urgere praeclarum opus, in ejuſmodi cura ipſe quoque verſari, pueris, adultis, infimae quoque plebi chriſtiana dogmata explicare; in ipſa urbe Roma eandem diſciplinam provehere, ac propagare. Nam cum in ſui tituli Eccleſia feſtis quibuſque diebus catechizandis rudibus operam daret, eo exemplo permoti, atque excitati graviſſimi Praeſules, & Cardinales ipſi divino huic magiſterio operam dare coeperunt.

Nec minus ardens tuendae, ſervandaeque fidei, quam inſerendae ſtudium in eo fuit. In his quae ad illius integritatem pertinent delicati adeo erat judicii, ut nihil omnino diſſimularet, ac ferret, quod illius puritatem labefactare vel minimum poſſe videretur. Itaque in deligendis Semi-

Seminarii ſui magiſtris id primum diligentiſſime praecavebat, ne qua pravae doctrinae ſuſpicione laborarent. Philoſophiae profeſſorem, egregium ceteroquin virum, ac probum, quod ſuſpectae doctrinae Magiſtri auditorem fuiſſe intellexiſſet, ſtatim a Seminario abire juſſit: Acrius exarſit in publicum alium Patavinae Academiae profeſſorem de animorum immortalitate haud omnino recte, catholiceque diſputantem; gravi enim objurgatione palam acceptum, caſtigatumque a perverſa, ac liberiore in poſterum philoſophandi ratione in rebus fide divina credendis abduxit. Rurſus Theologum alium minus caute, caſtigateque de rebus divinis coram ſe diſſerentem ſilere juſſit, indignum homine catholico ratus vel uno verbo ab orthodoxa loquendi forma recedere.

Quid? quod adverſus ſe ipſum ſi aliqua forte in rebus fidei dubitatione tentaretur, pari zelo, & ardore commovebatur? Id narrat de ipſo Jacobus Jacobettus in Patavino Gymnaſio publicus Ethicae Profeſſor in Opuſculis politioris literaturae ab eo editis Venetiis an. MDCCXXXVIII. pag. 199., quod quia factum in ſolitudine, & ſine arbitris, ſe ipſo tamen praeſente, fortaſſe, inquit, nulli narrabunt hiſtorici. Annis vitae poſtre-

poſtremis cum in Monte Crucio, curandae valetudinis cauſa, verſaretur Gregorius, Auguſto menſe magnis caloribus paulo poſt prandium advenerunt Capuccini duo, qui recta Cardinalem adierunt. Pauca locutus, ſudore madidos, aſcenſu collis fatigatos, anhelanteſque dimiſit ad corpus confectum ſiti, atque inedia refrigerandum, reficiendumque; qui quum abirent, Gregorius ad Jacobettum, quo anagnoſte utebatur, extemplo converſus: Quid ais tu? inquit: Ardua ſane eorum vita, difficilis, plena laborum, ac moleſtiarum, at pro ſempiterna animi ſalute ſuſcepta. Adſuit illico inimicus Satan aſtute tentans: Quid ſi erraremus, eſſentque inanes tot in vita labores? At momento eodem inſidias, & machinamenta maligni disjecit. Continuo enim ore accenſus, ac veluti ſubiraſcens ſibi: Falli, inquit, non poſſumus: ſancta Fides noſtra docet indubitata; fide magiſtra divina tutiſſimi ſumus, fieri haud poteſt, ut decipiamur, ſunt praemia, ſunt poenae eternae bene, vel male in hac vita agentibus. Hic ſapientiſſimus, ac piiſſimus Cardinalis de immortalitate animae, deque vita ſempiterna adeo ſubtiliter, & exquiſite brevi tempore diſputavit, ut totis voluminibus non Philoſophi, non Theologi melius;

lius ; ita Diaboli inſidiae bene in fide confirmato homini, ac vigilanti occaſionem virtutis praeclare , & magno cum merito exercendae praebuerunt.

Jam ne ulla pravi dogmatis lues ovile ſuum afflaret, atque pervaderet, incredibili vigilantia fuit. Cum e pollutis haeretica labe, ſuſpectiſve locis in ejus Dioeceſim ventitarent homines, nihil ſibi ad ſummam curam , ac diligentiam faciebat reliqui, ut ab grege periculum arceretur. Ut excubarent, atque in eorum mores, & conſuetudinem diligentiſſime inquirerent, Parochos admonebat, ne quid labis ex eorum commercio in populi fidem, religionemque manaret: ſi quid detrimenti, periculive ſubeſſet, moneri ſe, ac certiorem fieri ſtatim volebat, quo praeſenti malo opera, vel conſilio remedium afferret. Paſtoralis hujuſce ſolicitudinis illuſtre ſane documentum edidit, cum revocatam ex orco veterem Illuminatorum , & Beguardorum Haereſim Michael Molinoſius Hiſpanus Presbyter Romae primum, late deinde per Italiam ſudit, ac propagavit. Nondum Apoſtolicae Sedis judicio damnatus fuerat execrabilis ſectae inſtaurator turpiſſimus, nec dum ab Innocentio XI. Eccleſiae clavum eo tempore moderante confixa fuerant,

rant, atque proſcripta falſa, & impia, quae clanculum, ac veluti per cuniculos ubique ſpargebat deliramenta, cum Gregorius naſcentis incendii flammam acute proſpiciens, ne in ovilis ſui exitium erumperet, primas ejus ſcintillas ſtatim extinxit. E manibus primum ſacrarum virginum libros nonnullos excuſſit, in quibus divinae contemplationis, atque ſublimioris orationis ſpecie pravi dogmatis ſemina incautis mentibus ingerebantur. Tum variis in Urbis Templis adverſus novae Myſtagogiae illuſiones e ſuggeſtu magno doctrinae apparatu ſemel, iterumque diſſeruit, latens ſub nova orandi methodo haereticae doctrinae virus detexit, cavendumque Chriſtiano populo quamquod maxime denunciavit. Ut vero ad omnes univerſae Dioeceſis oves vox Paſtoris pertingeret, qua admonitae ab occultis luporum ſub ovina pelle latentium inſidiis caverent, ſub gravioris cenſurae poenis edixit, ne uſpiam ſive publicis, ſive privatis in locis virorum, mulierumve coetus cogerentur, in quibus piarum, atque ſpiritualium exercitationum ſpecie de nova orationis methodo, de vita interiore, de animarum regendarum ratione colloquia haberentur; interdixitque omnibus ſuae curae commiſſis, ne quam cum ejuſ-

modi coetuum hominibus, eorumve fautoribus conſuetudinem, ac ſocietatem inirent. His ille praeſidiis, ac certis veluti antidotis deterrimam ab ovili ſuo peſtem feliciter propulſavit, atque immunem prorſus ab omni foeditate gregem ſervavit. Hebraeorum quoque conſuetudinem, & familiaritatem chriſtiano populo periculoſam, atque vitandam, eliminari curavit. Itaque ne Judaei Palatium Epiſcopale, vel Seminarii aedes adirent, neve ſacrarum virginum limina attingerent: tum ne Chriſtiani operam illis ſuam locarent, vel apud illos cibum caperent, eorumve Medicis uterentur, diligentiſſime cavit; ac ne malae illius gentis ſuperſtitione aliqua gregis ſui mores inficerentur, occaſionem omnem praecidendam exiſtimavit

Eodem Fidei tuendae, ac propagandae zelo incitatus laboranti apud exteras gentes Religioni quacumque poſſet ratione opitulari vehementer optabat: Et ſi quidem licuiſſet, Infidelium partes adire non dubitaſſet, quo jacentibus in denſa errorum caligine populis verae Fidei lumen afferret. Auditus eſt aliquando dicere; ſi Chriſtianorum armis ſubigeretur Byzantium, ſe illius Civitatis Epiſcopum, ac Patriarcham libenter futurum, quo catholicam Fidem per Orientis

tis Provincias propagandam curaret. Abſens tamen corpore, atque Eccleſiae ſuae vinculo adſtrictus iis quoque locis, ac gentibus Fidei adjumenta parabat. Cum Turcas inter atque catholicos Principes exardeſceret bellum periculoſiſſimum, publicis ſupplicationibus, ac precibus ad implorandam divinam opem indictis, multis ipſe jejuniis, vigiliis, & orationibus ſeſe jugiter exercebat, ut propitiato Numine, ac depreſſa Infidelium potentia, late in eorum fines Chriſtianorum imperium, atque religio protenderetur. Foederatos interea Reges, ac Principes magna pecuniae vi ultro adjuvabat, qua demum exhauſta, ſupellectilem omnem ſuam diſtraxit argenteam, ut nova ad ſuſtentandam diuturni belli molem ſubſidia conferret. Quo autem idonei earum gentium converſioni pararentur miniſtri, orientialium idiomatum ſtudium, atque Typographiam in Seminarium ſuum invexit, fore ſperans, ut quibus linguis Chriſti Fides in Orientem primum inducta fuerat, iiſdem & reſtitui poſſet, & propagari. Libros adverſus earum gentium errores, tum Catechiſmos, quibus catholicorum doctrina agentes ibi Chriſtiani, vel recens ad ſacra noſtra converſi imbuerentur, edi curavit. Tipaldi Meletii Graecorum Archie-

piſcopi Venetiis commorantis, aliorumque opera utebatur, ut Schiſmaticorum complures ad catholicam unitatem revocarentur: Redeuntibus autem neceſſaria ad victum omnia aere ſuo ſuppeditabat. Corcyrenſis Eccleſiae Seminario CCC. nummum argenteorum annuum cenſum adſignaverat promovendae Schiſmaticorum converſioni. Extorrem, ac profugum Armenorum Epiſcopum, aliosque Graecos Antiſtites hoſpitio apud ſe receptos diu retinuit, quo cum ipſis de Graecae, Latinaeque Eccleſiae unione rationem aliquam iniret. Hanc ille concordiam animo continenter volvebat, de ea cum doctiſſimis viris multum agebat, remque graviſſimis difficultatibus impeditam ita jam mente conceperat, ut niſi mors ejus conſilia intercepiſſet, bonum aliquem exitum habitura eſſe videretur.

Britannos, Hibernos, Galloſque adoleſcentes, qui patriam haberent haeretica lue contaminatam, in Seminaria, & Collegia a ſe inſtituta ultro, libentiſſimeque admittebat, fore ſperans, ut cum ad ſuos reverterent, qua inſtituti eſſent, Catholicae Religionis doctrinam non tuerentur modo, ſed etiam propagarent. Quare cum laeto, fauſtoque nuntio accepiſſet reſtitutam in Anglia a Jacobo II. Catholicam Religionem, continuo

nuo Anglos, Hibernoſque Sacerdotes, quos Patavino Seminario exceperat, pecunia, veſtibus, omnique viatico inſtructos eo contendere juſſit, quo utilem catholicae Fidei amplificandae operam navarent. Haereticos quoque, qui ejuratis erroribus in Eccleſiae ſinum revertiſſent, tum eos, qui Religionis cauſa patria, domoque pulſi fortunarum ſuarum jacturam libentius tulerant, quam Fidei deſerendae periculum, amantiſſime complexus, aere ſuo alebat, ac ſuſtentabat, ne inopiae cauſa a ſuſcepta religione deficerent. Ad Muhamedanos demum, obcaecatoſque Judaeos ſolicitudinis ſuae curas porrexit, nec inanem, & vacuam eorum converſioni operam contulit. Nam eorum non paucos monendo, hortando, docendo ad verae Fidei agnitionem perduxit; Complures aliorum induſtria, ac labore chriſtiana doctrina imbutos ſalutari lavacro manu ſua expiavit; Pleroſque vero tanquam a ſe genitos filios domi alendos ſuſcepit, vel annuo ad victum proventu donavit. Filios, ſi quos haberent, chriſtiana inſtitutione liberaliter educandos curabat; Filiabus vero dotem conſtituebat, qua vel nuptui traderentur, vel in ſacrarum Virginum aſceteriis collocarentur.

CA-

CAPUT II.

De eximio ejus Religionis cultu.

Religionem cum Fidei virtute conjungimus, quod ad eam quam proxime accedat, ſitque illius argumentum quoddam, ac declaratio; Deum enim, quem fide credimus, religione colimus, ac veneramur. Ac ea quidem praecellere Epiſcopum decet, cum ut ceteris ſacrorum obſervantia praeluceat ad exemplum, tum ut muneris, dignitatiſque ſuae ſplendorem tueatur. Ad eam porro Gregorius in omni vitae parte, & actione non factus, ſed natus plane videbatur; dici enim vix poteſt, quam in celebrandis divinis Myſteriis, rebuſque omnibus ſacris cultu exhibendo, ac propagando, pietatem, diligentiam, ac religionem praeferret. Rem quotidie divinam faciebat, dabatque operam, ne ullis unquam occupationibus, negotiis, ac curis, vel in ipſa itinerum difficultate a divino opere prohiberetur. Morbo autem, vel caſu aliquo praepeditus omnino ſe praeſente fieri jubebat, ipſe vero genibus humi poſitis, ac prono corpore venerabundus ſacram Euchariſtiam ſumebat.

bat. Prolixa prece, rerumque divinarum meditatione ad ſacrum ſe comparabat, ea deinde oris modeſtia, & gravitate procedebat ad aras, ut ne circumſtantes quidem intueretur. Dum ſacris operaretur, incredibili animi ſenſu in myſterii contemplationem abſorptus extra ſe raptus videbatur, & quo intime aeſtuabat charitatis fervor exundabat in vultum, qui radiorum ſpeciem aliquando exhibebat. Conſecrationis tempore inſolitis toto corpore motibus quatiebatur; ac diu immotus perſeverans in crebros pietatis gemitus, ac veluti amantis ſuſpiria erumpebat. Euchariſtiam ſumpturus tanta ſpiritus affluebat dulcedine, ut incenſus charitate animus e corpore proſilire velle videretur. Peracto Sacrificio multus erat in gratiis agendis, acceptique beneficii magnitudinem jugiter recolens, conceptum divini amoris ignem ea per diem recordatione fovebat.

Quo autem ipſe religionis, pietatiſque ſenſu ſacra obibat myſteria, eodem ab aliis peragi Sacerdotibus vehementer optabat. Primum enim, ut conſtituti ab Eccleſia ritus, ac caeremoniae, quarum erat ipſe obſervantiſſimus, ab omnibus ſervarentur, cura illi aſſidua fuit. Iis diligenter inſtitui, atque exerceri Seminarii ſui clericos juſ-

ſit:

ſit: Tum iis in coetibus, qui ſingulis cogebantur menſibus, copioſe de ipſis accurateque diſputari, ac conſultari ab omnibus voluit, iiſdemque ipſe conventibus, atque conſultationi praeeſſe ſolebat. Ut erat autem earum rerum peritiſſimus, promovendos ad Ordines, vel jam initiatos, ac Sacerdotes ipſos, animarumque Curatores de iiſdem multum interrogabat. Sacerdotes nonnullos ſe praeſente aliquando operari ſacris jubebat, ut ſi quid in ipſa myſteriorum celebratione oſcitanter, diſſoluteque ſacerent, notaret, atque corrigeret: Nihil quod ad rei ſacrae cultum, caeremoniaſque pertinet, non dignum exiſtimabat, ad quod curam omnem, ac diligentiam adhiberet ſuam, plurimi ea pendens, quae a Sacrorum Rituum imperitis, vel negligentibus in minimis haberi conſuevere. Libellum denique de caeremoniis in Miſſa ſervandis edendum curavit, quo ſingula in celebrandis divinis myſteriis agenda, ac vitanda oculis ſubjecta Sacerdotum memoriae facilius commendarentur.

Operam tamen in eo ponebat maximam, ut quanta fieri poſſet animi praeparatione, ac puritate divina ab omnibus celebrarentur myſteria. Nihil impenſius voce, ſcriptoque ſacris ingere-

gerebat Miniſtris, quam interiorem cordis munditiem, & quantam aſſequi poſſent vitae innocentiam, & ſanctitatem, quam eorum muneris ita propriam praedicabat, ut intelligi a ſe vix poſſe affirmaret, qua ratione grave crimen ea die Sacerdos admitteret, qua Chriſti corpus, & ſanguinem confeciſſet.

Eodem pietatis cultu divinam venerabatur Euchariſtiam. Si quae adverſa, vel difficilia occurrerent ad conciliandam divini Numinis opem, publicum ejus cultum indicere conſueverat. Palam in templis propoſitam, ut ceteris praeiret exemplo, frequens obibat, ac poſitis humi genibus ante divinam hoſtiam diu immotus, ac ſupplex adorando perſtabat. Annua recurrente Sanctiſſimi Chriſti corporis celebritate, publica illud ſupplicatione, quamquam inclinata foret aetate, articuliſque manuum diſtortis, ac morbo contractis, per Urbis vias circumgeſtabat ad inſignem oris gravitatem, ac religionem ita compoſitus, ut oculis in ipſum continenter defixis a ſenſibus abalienatus, atque extra ſe elatus videretur. Ut ſacrum denique Viaticum ad morti jam proximos quam decentiſſime deferretur, ſedulo advigilabat, ac domeſticis ſuis edixerat, ut quavis hora edito ſigno parati, ac ſolliciti eſſent

ad auctorem ſalutis accenſis facibus in pompa comitandum, ac deducendum.

Deiparae Virgini addictiſſimus praecipuum ei ſecundum Deum non modo cultum, ſed amorem etiam impendit. In ejus fidem, & clientelam cum a puero ſe contuliſſet nullum agebat diem, quo non eam aliqua ſignificatione honoris proſequeretur. Sacras ejuſdem Roſarii decades, vel inter graves occupationes, & curas, vel iter faciens, attenta myſteriorum, quae per decades ſingulas proponi ſolent, meditatione quotidie recitabat. Id orandi genus cum in Bergomenſi Dioeceſi jamdiu neglectum, obſoletumque inveniſſet, ubique locorum cum in Urbe, tum in Provincia veluti poſtliminio revocavit, atque reſtituit. In Parochialibus Templis ſingulis poſt veſperas diebus feſtis ejuſdem Roſarii partem recitari juſſit, eademque pia conſuetudo ante depictas per Urbis vias Mariae imagines ut frequentaretur curavit. Singulis praeterea Sabbatis in Templis ejus nomini ſacris brevi ad populum de ipſius laudibus inſtituto ſermone, Lauretanas, ut vocant, Litanias cantari inſtituit. Eam Seminarii ſui Patronam ſub immaculatae Conceptionis nomine cum delegiſſet, erecta ſub eodem titulo alumnorum Congregatione, magno id feſtum

ſtum apparatu celebrari volebat : Seminarienſibus autem, ac familiaribus ſuis parvum ipſius Virginis officium quotidie recitandum indixit. Quo ſacros, ac feſtos ejuſdem Virginis dies praeveniebat ipſe, jejunium, pane dumtaxat, vinoque definitum, ab iiſdem quoque ſervari praecepit. Signo vix edito, quo ter in die ſalutare Virginem Fideles monentur, aperto ille confeſtim capite, quocumque demum in loco eſſet, ut ut ſordido, ac lutulento, poſitis genibus angelicam ſalutationem devotiſſime recitabat. De divinae Matris laudibus cum publice, tum privatim incredibili pietatis ſenſu verba identidem faciebat, ut omnes ad eam colendam, ac diligendam accenderet.

Cum reliquos Caelites, tum praecipue Sanctos Carolum Borromaeum, Franciſcum Saleſium, Philippum Nerium, ac proprios Bergomenſis, & Patavinae Eccleſiae Patronos religioſiſſime venerabatur. Singulari tamen obſequii, atque amoris ſenſu erga eos afficiebatur, quos primo loco nominavimus Epiſcopos Borromaeum, atque Saleſium, quorum mores, atque virtutes in ſe transferre ſtudebat. Ac Franciſcum quidem Saleſium non coluit modo, ſed in amore, ac deliciis ſemper habuit. Divina ejus ſcripta (quod

uti memoravimus a Clariſs. tum Praeſule Fabio Chiſio inter cetera chriſtianae vitae inſtituendae documenta adoleſcens acceperat) aſſidua manu contriverat, multaque ex ipſis hauſerat memoriae adeo infixa, ut ea in ſuccum, quod dici ſolet, & ſanguinem transfudiſſe videretur. A primo Bergomenſis Epiſcopatus exordio, quo Gregis ſui mores componeret, eique parabilem, ac temperatam evangelicae perfectionis viam oſtenderet, ejuſdem Saleſii Philotheam imprimendam, vulgoque legendam curavit.

Carolum vero Borromaeum, praecipuum ſibi conſtituit vitae, ac ſolicitudinis Paſtoralis exemplar, ad quod ſe prorſus fingeret, ac conformaret. Ejus vitae lector aſſiduus: hanc iter quoque faciens in ſinu geſtabat, ejuſque in menſa lectionem quotidie adhibebat. Acta praeterea Mediolanenſis Eccleſiae familiaria ſibi omnino fecerat, eaque in Seminario ſuo perlegi continenter volebat. Ex ipſis tanquam ex ditiſſimo rerum Eccleſiaſticarum penu ea fere promebat, quae ad Eccleſiae ſuae regimen, & Cleri in primis inſtitutionem maxime utilia, ac neceſſaria videbantur. Ad mortales ſanctiſſimi Archiepiſcopi exuvias rite colendas Mediolanum proficiſcebatur identidem, ipſumque Seminarii ſui Patro-

tronum delegerat, palam propoſita alumnis ejuſdem Imagine, cui erat inſcriptum: *Diſciplina tua ipſa nos docebit*: quibus ſane rebus effectum eſt, ut ſancti illius Antiſtitis zelum, ſolicitudinem, charitatem, ſapientiam, animi conſtantiam, ceteraſque virtutes ita ſit aemulatus, atque aſſecutus, ut Caroli ſpiritum in Gregorium migraſſe vulgo diceretur, ac Mediolanenſes ipſi affirmare non dubitarent, ſe habere quidem Carolum mortuum, Bergomenſes vero eumdem in Barbadico redivivum; Tanta erat utriuſque morum ſimilitudo, actionumque vitae conſenſio.

Jam ut alia perſequamur religionis ejus officia, maximam in eo curam adhibuit, ut feſti dies ad Dei cultum, Sanctorumque memoriam celebrandam inſtituti ſancte, pieque ab omnibus obſervarentur. Id cavit in primis, ne quiſquam ad divinam offenſionem, animaeque perniciem iis abuteretur in ludis, choreis, amoribus, compotationibus, ſpectaculis, aliiſve profanis oblectamentis: Tum ut eo potiſſimum tempore populus in divinis officiis, in catecheſi, & concionibus frequens eſſet, atque in recolendis divinis beneficiis multa prece, piiſque exercitationibus verſaretur. Servile opus ne minimum quidem in ſui, aliorumve commodum fieri permittebat: Qua-

Quare familiarem ſuum, quod barbam die feſto abradi ſibi curaſſet, verbis graviſſimis caſtigavit. Ad haec, cum in Veneto magiſtratu de excitata adverſus jura Epiſcopalia a Patavino Capitulo controverſia poſtridie Dominicae pronunciandum foret, ac pagellae aliquot in ſui defenſionem jam typis impreſſae a Librario conſuerentur, Judicibus quamprimum diſtribuendae, coeptum opus intermitti omnino mandavit, & cauſae ſuae praeſidium negligi maluit, quam vel leviſſima in re Feſti ſanctitatem violari.

Quae ſacris aedibus debetur reverentia cordi ei quam quod maxime fuit, eamque Parochis, Eccleſiarumque cuſtodibus tuendam, ac promovendam voce, ac literis identidem commendabat. Adverſus profanorum hominum in Templis immodeſtiam, atque licentiam apoſtolico plane zelo homo cetera mitiſſimus exardeſcebat, atque in eos e ſuggeſtu vehementer commovebatur. Ne quidpiam in Eccleſiarum atriis, aut Coemeteriis venderetur, ne quiſquam armatus eo accederet, ne miſcerentur in ipſis collocutiones, vel quidquam aliud fieret, quod loci ſanctitatem, ac reverentiam minus deceret, ſemel, atque iterum ſanxit edicto. Duos ſibi familiares, quod contrahendi itineris cauſa per Eccleſiam

ſiam tranſiiſſent, graviſſime objurgavit, monitoſque voluit a publica via Eccleſiam eſſe chriſtiano homini ſecernendam. Auctor praeterea Venetis magiſtratibus fuit, ut in profanos Templorum violatores, contemptoreſve gravibus indictis poenis animadverterent, ut qui minus praeſentis Numinis majeſtatem revererentur, Principis gladium, poteſtatemque metuerent. Vitandis porro inter mares, ac foeminas colloquiis, aliiſque e ſacro loco arcendis periculis, templa ipſa ex veteri diſciplina per ſiparium, vel interpoſita lignea ſepta dividi juſſit, atque unam maribus, aliam foeminis partem, quin & diſtinctas ad Templi aditum utriſque portas adſignavit.

Quo demum omni ex parte ſacrarum aedium ſtaret honos, atque res ſacra ex dignitate Eccleſiae, ac Religionis amplitudine perficeretur, nec operae, nec diligentiae, nec ſumptibus ullis unquam pepercit. Eo praecipue in luſtrandis Dioeceſis ſuae Templis cura, ac ſolicitudo ſpectabat, ut vetuſta renovarentur, collabentia reficerentur, ſqualida expolirentur, nihil denique eorum negligeretur, quae ad Domus Dei decorem, ornatumque pertinerent, vel ad munditiam, atque nitorem. In id non ſolum Parochos monitis, ac praeceptis impellebat, ſed aere ipſe ſuo ſupelle-
lecti-

lectilem omnem ſacram indigentibus comparabat Eccleſiis, profuſeque ſuppeditabat quae non earum dumtaxat neceſſitati, ſed elegantiae quoque, ac ſplendori congruere viderentur.

CAPUT III.

De Spe, ac fiducia in Deum.

FIdei noſtrae robur ac firmamentum divina Spes, quam *ſicut anchoram habemus animae tutam ac firmam*, *Hebr*: 6. 19. altas adeo in Barbadico radices egerat, ut nec arduis commoveri, nec periculis concuti, nec ullis dejici poſſe videretur adverſis. Divinae potentiae, bonitati, ac fidelitati innixus, & fretus aeternum incommutabile bonum, quod praeparavit Deus diligentibus ſe, per adoptionis gratiam, & Chriſti merita, ſibi quoque uti filio obventurum abſque haeſitatione ſperabat. Ergo in id unum cogitationes omnes referens, ac deſideria, arctiſſimam Evangelicae perfectionis ſemitam, curarumque plenam, atque ſolicitudinum Paſtoralis muneris viam ingreſſus, alacriter decucurrit in laboribus, ac vigiliis, in caſtitate, & fide, in patientia, & longanimitate, expectans beatam ſpem, & adventum gloriae Magni Dei. Hunc unum haeredi-

reditatis ſuae partem cum elegiſſet, cetera omnia ut detrimentum fecit, ut vanitates habuit, & inſanias falſas. Prae caeleſtibus, aeterniſque rebus fluxa omnia, ac terrena nihili pendens, a prima adoleſcentia Chriſto, & Eccleſiae mancipatus, ſuae dumtaxat aliorumque curandae ſaluti ſe totum dedidit: Eccleſiaſticas dignitates nonniſi invitus admiſit: Eam ipſam, quae ſuprema in terris habetur, ultro ſibi occurrentem, ac fere delatam nec appetiit unquam, nec amavit, ſed averſatus eſt potius, atque ut grave onus, timendumque periculum defugere ac propulſare curavit. Divitiarum ſenſu ne afficiebatur quidem, ſed quantaecumque ſibi e paterna domo affluerent, vel eccleſiaſticis cenſibus obvenirent, eas in pauperum ſinum largiſſime effudit. Ejus horrea frumento, pretioſa ſupellectili domus, pecuniis arca ſemper exhauſta, ſaepe etiam obaerata: diſperſa omnia, atque egentibus contributa, ut nihil jam reliquum fieret, quod aut aliis erogari, aut in domeſticos uſus impendi poſſet; a largitionibus tamen non temperabat, atque a rei familiaris Praefecto aerarii inopiam conquerente non ſemel admonitus, ut profuſae liberalitati modum poneret, *Deus*, ajebat, *Deus providebit*.

Hac una in Dei providentia, bonitateque fiducia roboratus, eam diſperſit in pauperes auri vim, quam vix quiſpiam credere poſſit, aut vero unde illi ſuppeteret, aſſequi cogitando valeat. Praeſidia in Deo omnia ad alios quoſcumque caſus conſtituebat; ita tamen ut humanae diligentiae nihil omitteret. In arduis, implicatiſque negotiis, in diuturnis adverſus dignitatis, Eccleſiaeque ſuae jura concitatis litibus, in graviſſimis Paſtoralis muneris curis, ſpe ſemper ſtabili innixus, a Deo ſe illud conſequuturum, quod eſſet ipſius gloriae conſentaneum, ſibi vero, aliiſque ſalutare, mirifice recreabatur. Ea firmatum anchora, & quaſi ſcuto protectum, quaecumque inciderent difficultates, pericula occurrerent, adeo eum non deterrebant, neque a coepto retardabant, ut agentis ſolertiam, ac ſtudium acuerent magis, atque incitarent. Quod ſi propoſitae, conſtitutaeque rei ita adverſarentur, ut vinci omnino, ac ſuperari non poſſent, magnum erat ejus aequabilitatis ad omnes caſus firmamentum divina voluntas, in qua humiliter religioſeque conquieſcebat. Erat ipſius hoc dictum: „ In rebus gerendis conatus omnis noſter exercendus, perinde ac ſi nihil in divina „ ope poſitum ſit: tum omnia Deo permittenda, „ per-

„ perinde ac ſi nihil actum a nobis fuiſſet „. De Seminario magnifice augendo cum deliberare coepiſſet, fuere qui ingentes, ac regios fere ſumptus ad id perficiendum neceſſarios objicerent, quibus Gregorius: „ Ego, *inquit*, incipiam, „ & Deus perficiet „. Interrogatus alias, putaret ne diu poſt ſe permanſura tot ab ipſo praeclare, ſanċteque inſtituta? „ De multis, *reſpondit*, haud equidem ſpero; haec eſt enim re„ rum humanarum conditio: ſed agendum quod „ in nobis eſt, futura vero divinae providen„ tiae committenda. „

Jam ubi de divina gloria, de ſacrorum cultu, de Eccleſiae juribus tuendis, promovendiſque ageretur, ubi Gregis univerſi, vel unius animae ſalus in diſcrimen adduceretur, erecto, fortique animo, ac divino magis, quam humano conſilio fretus, contraria quaeque, aliorumque judicio tam ardua, ut fieri vix poſſe putarentur, adire, atque in coepto conſtanter pergere non dubitabat. Nihil enim ſibi tribuens, ac nihil perfugii reponens in homine, auxilium, & fortitudinem ab eo uno praeſtolabatur, qui non deſerit, neque confundit ſperantes in ſe. Primum itaque accuratis precibus propitiato Deo, ita certo ſibi ejus numen affuturum ſperabat,

ut temere aliquando agere videri potuerit, niſi manifeſte divina eum ſuſtentaſſet protectio.

Dioeceſim aliquando ſuam obeunti accidit, ut ingenti aquarum alluvie exundantibus agris, viis omnibus intercluſis, tutus ad propoſitum ſibi locum aditus jam nullus pateret. Difficultate, ac periculo abſterriti itineris comites, familiareſque non ultra progrediendum cenſebant, ac porro ſuadebant. At ille bonae ſpei plenos eſſe, metumque omnem abjicere juſſit: tum invocata alternis precibus Deiparae Virginis ope, ſeſe vado commiſit, & quo contendebat, non ſine conſpicuo Dei protegentis auxilio incolumis prorſus evaſit.

Hanc ipſam erecti in Deum animi fiduciam iis ingerebat, quos vel rebus adverſis preſſos, vel futurorum cogitatione, metuque ſolicitos, anxioſque videret. Aeternae in primis felicitatis recordatione ſe ipſum, alioſque dejectos animo, diffidenteſque erigebat, ac jucundiſſima immortalis praemii expectatione ad breves hujus vitae calamitates aequo animo perferendas excitabat. De perenni Beatorum felicitate libentiſſime loquebatur, & quae repugnant ſenſibus, ea ipſe ſuaviſſima cogitatione, alacri promptoque animo complectebatur, cum in proſperis, tum in adver-

adverſis ſemper aequabilis, eamdemque praeferens mentis, & oris tranquillitatem. Caelum ſerena nocte interdum ſuſpiciens, ſtellarumque ſpeciem fulgoremque contemplans, eo abreptus, quo flagrabat, caeleſtis Patriae deſiderio in eas aliquando voces erumpebat: „ O quam pulchrius quod intus latet „! Alias vero: „ O Deum vere „ magnum! O Sapientiam infinitam! qualis erit „ parata nobis domus, ſi atrium tam pulchrum„?

Cum tamen chriſtianae ſpei comes ſit timor ille caſtus, quo vel innocentes, & ſanctiſſimi homines divinam juſtitiam, poteſtatemque verentes, ne a Deo ſeparentur, timere ſolent, eo quoque correptus Gregorius de ſua interdum ſalute non modo ſolicitus, ſed etiam anxius videbatur. Epiſcopalis miniſterii gravitatem, & quae illud circumſtant pericula ſerio reputans, ac de Grege univerſo rationem ſibi Deo reddendam ſedulo cogitans, ſupremi judicii metu vehementer commovebatur; de divina quidem bonitate non dubitans, ſed de ſua infirmitate diffidens. Quare alternantibus in ejus animo modo in unam, modo in alteram partem cogitationibus, ſui plane incertus, & anceps *Quid erit* clamabat perſaepe, *quid erit?* Iis autem, qui e cura, atque anxietate abducere hominem conabantur, ac ne quid ſibi

ſibi a morte metueret, ingerebant vitae innocentiſſime actae recordationem, recteque ab ipſo factorum conſcientiam: „ Mortem, *reponebat*, non „ formidarem, niſi fuiſſem Epiſcopus„. Cum e gravi morbo aliquando convaluiſſet, eumque officii, & gratulationis cauſa adiiſſet P. Johannes Hieronymus Teſtorius Caſſinenſis Monachus, ac publicus Patavii ſacrae Scripturae Interpres, in ipſo cubiculi, & ſalutationis aditu: „ Timuimus, *inquit* „ *Cardinalis*, ac valde timuimus, Pater mi„. Cui Teſtorius:„ Fuerit ergo ille S. Hilarionis timor„. Tum Gregorius ſe graviter colligens, ac ſuſpiranti ſimilis: „ Contremuit, *inquit*, Hilarion, nec erat „ Epiſcopus „: multo majorem ſignificans timendi cauſam ſibi fuiſſe, quod non de ſuis tantum, ſed de aliorum etiam, qui ſibi crediti fuiſſent, factis rationem eſſet redditurus. In extremo quoque vitae agone conſtitutus, iiſdem conflictatus angoribus, memorabile edidit divina judicia metuentis exemplum, ne mali audeant de divina ſibi benignitate blandiri, cum optimi, ſanctiſſimique homines tremendi Judicii ſeveritatem formident. Nam tremebundus, ac trahens ex imo corde ſuſpiria, illud ingeminabat: „ Quid erit? Quid erit„? Mox vero tanquam ſecuritatis luce divinitus ſibi immiſſa, ac certiſſimae ſalutis nuntio exhi-

exhilaratus ita metum omnem excuſſit, ut in aeternae haereditatis fiduciam animo erectus magna ſerenitate, atque exultatione exclamaret identidem: *In te, Domine, ſperavi: non confundar in aeternum*.

CAPUT IV.

De Charitate in Deum.

Cum nulla magis animarum Paſtorem informet virtus, atque perficiat, quam divina Charitas, ut hanc propterea unam Paſtorum Princeps, oves ſuas Petro commendans, ab eo exquiſierit; quantum ea Barbadicus praeſtiterit paulo uberius enarrandum eſt. Ac ſui quidem in Deum amoris tot exhibuit argumenta, quot vitae ejus fuere partes, actiones, & munera, quae aſſidua quaedam exercitatio charitatis videri, atque aeſtimari poſſunt. Cum a puero didiciſſet in Deum bonorum omnium auctorem, ac finem referri omnia oportere, ſupremi hujus finis conſideratio ita ejus animum, mentemque pervaſerat, ut quidquid ageret, cogitaret, diceretve, Deum ſemper ſpectaret, ac perſaepe in eas voces erumperet, quas ſchedis quoque inſcriptas habebat: „ Ad hunc finem, Gregori, ad
„ hoc

„ hoc unum creatus es, ut Deum ames, ut Deo „ ſervias „. Haec aliis quoque, praeſertim eccleſiaſticis viris ſubjicere, atque inculcare ſolebat. Eo contendebant vota ejus omnia, atque ita ſpectabant conſilia, curae, ac labores, ut nefas eſſe duceret quidquam aliud praeter Deum quaerere, aut praeter ejus gloriae incrementum optare. Nihil propterea in humanis erat, cujus vel deſiderio tangeretur, vel poſſeſſione gauderet, vel afficeretur jactura. Ne illam quidem, quae conſequi virtutem ſolet, mentis delectatio, aut eas, quas viri ſancti ex intima cum Deo conjunctione percipere interdum ſolent, caeleſtes ſuavitates, ac ſpirituales delicias amabat, vel expetebat, veritus nempe, ne de puro, quem uni Deo debebat, amore, praeter ipſum res alia partem ullam decerperet ſibi, atque uſurparet.

De divinis perfectionibus ut cogitabat identidem, ita mira quadam ſuavitate colloquebatur. Deum in creatis omnibus rebus praeſentem intuebatur, ac nihil tam leve, & exiguum illius ſe aſpectui objiciebat, quin continuo in eo ipſo Dei Majeſtatem, Sapientiam, Bonitatem, aut aliquod divinitatis attributum contemplaretur, unde amoris in Deum argumenta depromeret. Praecipuo tamen amoris ſenſu commovebatur, dum effu-

effuſam in ſe conſideraret frequenter, ac ſecum ipſe reputaret divini Numinis largitatem. Dicebat in terris reperiri neminem, qui de aſſiduis, ampliſſimiſque in ſe collatis beneficiis ſaepius quam ipſe praetermiſſae gratiarum actionis culpam incurreret, & negligentius id Deo officium praeſtaret. Verba ejus omnia hunc amorem ſpirabant, quo ad divinam bonitatem cognoſcendam, diligendamque inflammare omnes voluiſſet. Nemo fere cum eo agebat, quem ille non aliquo charitatis ſtimulo percitum, atque commotum abs ſe dimitteret; quod tum maxime contingebat, cum ad populum, aut Clerum pro paſtorali munere verba faceret; Nam ab eo, quo intus aeſtuabat, charitatis igne tot erumpebant quaſi ſcintillae, quot verba, quibus audientium animos ſuaviſſima, ac mirabili vi in Dei amorem rapiebat. Quo a teneris aſſueſcerent pueri ad divini amoris actus jugiter eliciendos, eorum ipſe formulam conſcripſerat, quam in catecheſi a Parochis, & Magiſtris acceptam memoriae commendarent, ut quum adoleviſſent, eam diuturna conſuetudine tritam facilius in cor alte insererent, atque identidem ex animo expromerent.

Exultabat in primis, geſtiebatque animo ve-

hementer, ſi quando efferri, atque amplificari quoquo modo divini Nominis cultum, & gloriam vidiſſet, vel intellexiſſet. Hanc ille unam ita gerebat in oculis, ut teſtem amoris ſui ſanguinem pro ea tuenda, vel propaganda millies profundere paratus eſſet. Contra vero angebatur animo vehementer, & acerba quadam triſtitia tabeſcebat ob illatas per hominum ſcelera Deo injurias, quarum vel leviſſimae propulſandae cauſa mortem ipſam, hilari, promptoque animo ſubiiſſet. Si quando in homines flagitioſos, aut impios incidiſſet, qui aut obſcoena, vel contumelioſa in Deum evomerent, atque conjicerent, zelo incredibili incenſus, ac toto vultu exardeſcens, quantum voce, & auctoritate valebat, in eos invehebatur, quo offenſi Numinis majeſtatem vindicaret. Sed cum deteſtabilem blaſphemandi conſuetudinem eo impudentiae proceſſiſſe animadverteret, ut ad eam convellendam, aut cohibendam vix ſatis diligentiae, auctoritatiſque a ſe adhiberi poſſe intelligeret, Venetorum Senatui auctor fuit, ut ſeveriſſimas adverſus blaſphemos leges conderet, ac promulgaret, quo execrabile ſcelus ſaltem poenarum metu a Chriſtiana Republica exturbaretur. Peccata demum omnia ita averſabatur, ut non aliud

in

in terris malum ſe videre, ac cognoſcere affirmaret, niſi divinam offenſam. Tum illud ſe intelligere haud poſſe dicebat, quì cubitum ire, ac ſomnos ſecuros trahere quiſpiam poſſet lethali crimini obnoxius, ejuſdemque ſibi conſcius. Ea nimirum erat ipſe animi puritate, ut ne dum vel leve peccatum, ſed quodvis ejus periculum, ac ſpeciem ipſam horreret, atque defugeret. Qui diu, ac familiariter cum eo verſati ſunt, atque in hominis vitam paullo diligentius inſpexere, nihil umquam in ejus dictis, aut factis reprehendendum, caſtigandumque obſervarunt. Sed & ii, qui aures confitenti dabant, graviſſimi viri Andreas Trono Ordinis Praedicatorum, & Doſitheus ab Angelis Carmelita excalceatus jurati affirmarunt, ſe peccatum lethale in eo nullum offendiſſe, quo in Baptiſmo ſuſceptam innocentiae ſtolam commaculaſſet.

Fuit & illud incenſi in Deum ſtudii argumentum, quod otii, & quietis impatiens aliquid ſemper ad ejus gloriae incrementum vel moliretur, vel ageret, nullam ejus rei cauſa moleſtiam timens, nullam defugiens curam, laborem nullum detrectans. Cumque divinae charitatis indoles ea ſit, ut magna operetur, ac multa, ſed eadem parva exiſtimare ſoleat, & pauca,

id quoque in Gregorio ſingulare fuit, quod cum muneris ſui partes omnes cumulatiſſime impleſſet, nihil adhuc ſe egiſſe putaret, & quae ſatis erant laboranti, amanti non viderentur eſſe ſatis. Nam eorum quae jam egiſſet fere oblitus ad nova ſemper animum intendebat, ſatis officio ſuo facere ſe non poſſe arbitratus, niſi ad majora conniteretur. Quare inclinata jam aetate homo, ut qui corpori dura ſemper imperaverat, mollia vero numquam indulſerat, jam valetudine, ac viribus fractus, modum tamen laboribus nullum ſtatuebat; Sed quaſi onera ipſe ſua non ſentiret: „ Qui munus, *ajebat*, fungitur „ ſuum, ei nihil eſt grave, ac moleſtum „; Rurſus: „ Plus quiſque poteſt quam poſſe ſe credat, nec „ ille agit quantum debet, qui ſe egiſſe arbitra- „ tur quantum potuit „. Se ipſum quoque velut inertem, deſidioſumque coarguens, dum labore, ac laſſitudine pene deficeret, excitabat ad opus, atque dicebat: „ Epiſcopo quieſcendum non eſt: „ quies noſtra in Caelis erit.

Amantium denique illud cum ſit, ut unum, idemque velint, aut nolint, ita ſe Deo Gregorius, ſuaque omnia plene ſubjecerat, ut nihil optaret, aut mallet, quam quod illi magis luberet. Ab ejus voluntate cum ita in proſperis pen-

penderet, ac in adverſis, quemcumque res haberent eventum, in divina eadem voluntate, ac providentia ſuaviſſime quieſcebat. Medicinam hanc malis omnibus adhibebat cum ad ſe ipſum in adverſis ſuſtentandum, tum ad erigendos alios, quos triſtes, animoque dejectos videret. Nam conquerentibus grave quidpiam, ac permoleſtum, quo premerentur, exprobrabat animi imbecillitatem chriſtiano homine indignam, dicebatque facere ipſos Deo injuriam, qui quod is voluiſſet, nolle ipſi viderentur. Ex hoc autem voluntatis ſuae cum divina conformandae ſtudio, atque aſſuetudine manabant, quaſi rivuli ex fonte, mira illa hominis aequabilitas, cordis pax, & tranquillitas, quam nulla perturbaret rerum adverſitas, nullus commoveret inſperatus eventus; quae quidem ex diffuſa in ejus corde per Spiritum ſanctum charitate, exterius quoque in ejus oculos, vultum, & verba redundare videbantur.

CAPUT V.

De orandi, & contemplandi ſtudio.

MAgni amoris indicium eſt oratio, ajebat Chryſoſtomus, *Hom. 26. in Act. Apoſt.* Nam, quae hominem Deo conjungit, charitas, ejus

ejus conſortii, & familiaritatis expers eſſe nullo modo poteſt, & quorum mutuus eſt amor, mutua quoque debet eſſe conſuetudo. Qua igitur ferebatur Gregorius in Deum charitas, tanto eum orandi ſtudio incendebat, ut a congreſſu & collocutione cum Deo ceſſare non poſſe videretur. Vitae ſuae rationem omnem bifariam partitus erat: in actionem videlicet, & contemplationem, quarum ſtudia diverſa cum ſint, qui facile utrumque componat, perfecteque aſſequatur, ſupra humanam agere imbecillitatem æſtimandus eſt. Res autem ita disjunctas, operoſas, & graves feliciter adeo in ſe conjunxit, ut vel hoc uno Eccleſiae Paſtoribus eſſe poſſit exemplo, quod ſedulo inſpiciant, atque imitentur. Inter quotidiana paſtoralis muneris, & charitatis officia ſuſceptum a puero inſtitutum ſemper retinuit, ut certa ad commentandum, precandumque Deum temporis ſpatia ſervaret, quae neque externa ulla occupatio, neque ulla curarum moles interciperet.

Singulis diebus antequam illuceſceret ternas, aut quaternas horas ante Crucifixi imaginem in genua flexus tranſigebat, mente plerumque in Chriſti cruciatus, & mortem defixa; quod quidem orationis genus familiare omnibus, praeſer-

praeſertim eccleſiaſticis viris eſſe cupiebat, ac magnopere commendabat, nullum eſſe aliud argumentum praedicans cum ad meditandum facilius, atque ſuavius, tum ad permovendos animos, atque in Dei amorem inflammandos magis accommodatum, praeſertim cum illud unum virtutum omnium documenta, & exempla complectatur.

Primo mane cum familia univerſa in privato ſacello divinarum rerum meditationi horam tribuebat: mox in cubiculum ſecreto oraturus ſe recipiebat: horarum ibidem divini officii penſum ſolvebat; tum ad ſacrificandum multa prece ſe comparabat, ac re divina peracta multus erat in gratiis agendis. A prandio, atque ſub veſperam diſcutiendae conſcientiae, & communi cum familiaribus orationi horam iterum tribuebat. Ad multam praeterea noctem, ac totam aliquando, inter ipſos paſtoralis viſitationis labores, rigidiſſima quoque hyeme, modo in genua abjectus, modo in frontem provolutus, tamdiu in divinarum rerum cogitatione haerebat, dum gravi laſſitudine, ac ſomno dejectus fatigatos artus brevi quiete reficere cogeretur, quam ſedens plerumque, vel capite in ſinum deflexo breviſſimam capiebat; qua orandi forma,

ma, atque aſſiduitate ejus genua duriſſimo, ingentique callo obducta, poſt mortem obſervata ſunt. Cum autem ſub vitae exitum contractis vi frigoris manuum nervis, nec ſibi veſtes facile induere poſſet, nec ad id nocturno tempore manu aliena uti vellet, iis detractis, ad plures horas medio in cubiculo nulli innixus ſubſellio, aut fulcro, quo ſe regeret, ac ſuſtentaret, recto pectore, & contenta cervice orando perſtabat, totius corporis ſtatu ſane incommodo, ac valetudini periculoſo; qua re tandem a familiaribus explorata, ac deprehenſa, ne diutius e lecto profilire pergeret, adhibita medicorum auctoritate cavendum fuit.

Quid autem ſuum illud in conclave receptus, quid in placido noctis ſilentio, remotis arbitris, ac ſola conſcientia teſte in Deum abditus, mente ab humanis rebus abſtracta commentaretur, quae miſceret cum illo colloquia, quibus afflueret ſupernis deliciis, quos conciperet, efferretque divini amoris ſenſus, conjecturis aſſequi facilius eſt, quam explicare dicendo. Tradidere tamen familiares nonnulli, qui diligentius hominem obſervabant, auditum aliquando ex imo corde ſuaves gemitus, ac veluti amantis ſuſpiria trahere, repertum uberri-
mis

mis lacrymis perfuſum, ac toto corpore ita defixum, ut accedentes ne videret quidem, neque interpellantes audiret, quod hominis extra ſe rapti, animique divina patientis indicium eſt.

In matutina familiae precatione cum, uti ſolebat, aliquando verſaretur, accidit, ut horrifico terraemotu civitas univerſa, atque aedes in primis Epiſcopales jam vetuſtate labantes concuterentur. Attoniti, pallenteſque familiares omnes trepidare primum, ac palpitare, tum vitae quiſque ſuae conſulere, ac praecipiti fuga e ſacello dilabi, ne ruina opprimerentur. At Gregorius in ea conſternatione immotus, & ſupplex orando perſtans, atque in divinae miſericordiae ſpem animo erectus trepidantes ceteros voce, & exemplo firmabat. Pſalmum quinquageſimum recitans nondum abſolverat, cum repente pacato ſolo, ſublatus eſt omnis periculi metus. Quare eodem in loco orare pergens divinae pro accepto beneficio miſericordiae, ac bonitati gratias, quas potuit maximas egit.

Jam praeter deffinita orandi tempora, vacuas ab externis occupationibus horas fere omnes in preces conferebat. In proſperis, in adverſis, in dubiis, & arduis rebus ad orationem veluti ad ſacram anchoram, tutumque perfu-

gium recurrebat, plus ei fidens quam diligentiae cuicumque ſuae, induſtriae, ac labori. Singulis fere momentis brevi aliqua precatiuncula (jaculatorias vocant) Dei memoriam, atque amorem fovebat in ſe, vel excitabat. Sive domi, ſive foris, ſive ſolus, ſive inter alios mente cum Deo verſabatur, ut hoſpes plane in terris videretur. Neque tamen aſſidua haec cum Deo conjunctio paſtorali adminiſtrationi quidquam, vel ceteris negotiis, externiſque curis detrahebat. Nam obvius, ac facilis erat omnibus adeuntibus, praeſto ſingulis opem poſcentibus, ad negotia quaeque promptus, atque expeditus, numquam in otio, ſemper in actione, numquam ſuus, ſemper alienus. Inter tot curas nimirum, atque externarum rerum ſtrepitus, & varietates ſeſe identidem colligebat, abdebatque in quamdam animi ſolitudinem, atque ab exteriore homine ad eum, quem Paulus vocat interiorem, facile ſe recipiebat.

Externum quoque ſeceſſum, ac ſolitudinem ſacram aliquando captabat. Ab urbe digreſſus colligendi animi cauſa rus interdum petebat, ubi ne domo quidem prodiens curis depoſitis omnibus, divinis ſe totum dabat: tum quaſi inſtauratis animi viribus ad paſtoralia munera, & conſue-

conſuetos labores alacrior, ac veluti recens deſcendebat, exemplo Moyſis (quod Eccleſiae Paſtoribus commendat Gregorius, *Paſtoral. part.* 2. *cap.* 5.) Tabernaculum intrantis crebro, atque exeuntis, ut intus a Deo diſceret, quae foris populum edoceret. Per annos praeterea ſingulos ſemel, ut minus, in Seminarii aedes, aut Religioſorum coenobia ad dies aliquot ſecedebat, quo ſacris exercitationibus, diviniſque rebus diligentius incumberet. Ibi diſtractum curis paſtoralibus animum accurata ſuperioris temporis diſcuſſione recolligens, labe omni animi abſterſa, ad majorem ſe vitae perfectionem excitabat, ac vehementius in divina intendebat.

Hoc ipſum ſalutare inſtitutum Clero, populoque, ſuo commendatum maxime voluit, ac in utraque quam rexit Eccleſia mirifice propagavit. Edixerat enim, atque in morem induxerat, ut eccleſiaſtici homines ſingulis annis unum convenirent in locum, quo vocem Domini ad cor loquentis audirent, ibique ad octo ut minus dies piis occupati lectionibus, atque meditationibus mentem diligenter excolerent, anteactae vitae labes ſedulo excuterent, ac veterem hominem expoliantes cum actibus ſuis novum induerent, qui earum exercitationum fructus eſſe ſolet praecipuus.

Quotidianae rerum divinarum commentationis Seminarii ſui alumnis auctor ipſe, inſtitutorque fuit. Ad eam facile exercendam certas praeceptiones tradiderat, eique vacantibus non ſemel aderat, & quem inde fructum quiſque cepiſſet ſedulo interrogabat. Ad eam cum omnes vehementer hortaretur, tum maxime verbi Dei miniſtros, quorum eloquentiam ſine jugi oratione inanem verborum ſtrepitum eſſe affirmabat. Crucifixo magis quam libris ſtudendum dicebat, idque ſuo demonſtrabat exemplo; nec enim ab humanae artis praeſidiis, ſed a divinae ſapientiae fonte ea promere, atque haurire ſolebat, quae ſuis in concionibus, privatiſve colloquiis in auditorum mentes, & corda aeternarum rerum documenta ingerebat.

CAPUT VI.

De animarum ſalutis zelo, ac paſtorali ſolicitudine.

CUm in omni vitae parte, & actione Caroli Borromaei veſtigia preſſerit Barbadicus, ac divinas omnes ejuſdem virtutes aſſequi imitatione contenderit, non alia tamen propius ad eum acceſſit, quam paſtorali ſolicitudine, ac zelo ani-

animarum, qua potiſſimum laude *glorioſus* ab Eccleſia Carolus praedicatur. Quam quidem ſolicitudinem omnibus, qui ceteris praeſunt, ſed Epiſcopo in primis commendat Apoſtolus, *Rom. cap.* 12. *Qui praeeſt* (inquit) *in ſolicitudine*; cum ex ipſa veluti ex fonte omnia fere, quae ad paſtorale munus pertinent, officia deriventur. Neque enim tantarum momenta rerum, quibus fides, religio, pietas, diſciplina, Eccleſiae regimen, animarumque ſalus continetur, ſine magna Paſtoris ſolicitudine perfici poſſunt, ac ſuſtentari, cum ea ſit veluti ſpiritus, quo exteriores vigent actiones, atque animantur. Jam quantum Gregorius ea virtute praeſtiterit, quam vigil, ac ſolers in grege tuendo fuerit, quam navus, atque ſolicitus in ovibus ad aeternam ſalutem deducendis, explicari paucis non poteſt, cum ſingula vitae ipſius momenta ſolicitudinis hujus exemplis, ac documentis conſignata ſint..

Epiſcopale munus *animarum negotium* appellare conſueverat, quarum cuſtodiam graviſſimum ſibi, ac formidandum onus exiſtimabat, cum pro ſingulis vadem ſe apud Deum, ſponſoremque conſtitutum eſſe intelligeret. In ea igitur ſemper cogitatione defixus, nihil aliud ſpectabat, quam earum ſalutem, ad quam ita ſe, ſua-

ſuaque omnia conferebat, ut commodi, quietis, ac vitae ipſius ſuae negligens prorſus, ac fere immemor novas quotidie veſtigaret juvandi gregis rationes. Ejus rei cauſa ſolicitudinem ſuam vix ullis terminis circumſcribebat, ubique Eccleſiae ſuae locorum aliquid agebat, vel moliebatur, ſemper intentus omnibus quaſi ſingulis, atque ita ſingulis, quaſi univerſis. Ubi de rebus ad gregis ſalutem pertinentibus ageretur, diei, noctiſque momenta omnia idonea eſſe voluit, atque opportuna. Stans, ambulans, ſanus, aegrotans, prandens quoque, aut coenans Eccleſiae miniſtros, animarumque curatores indefeſſus audiebat: Ut autem ſigillatim oves cognoſceret, &, quod eſt boni Paſtoris, nominatim quoque vocare poſſet, earum cenſum a quovis Parocho accurate deſcriptum ob oculos habere voluit, ut ea quaſi compendiaria ratione gregem aſpiceret, atque luſtraret univerſum. Singulorum propterea mores ita cognitos, exploratoſque habebat, ut in eorum quemque extemplo, ac tuto, ſi vellet, animadvertere poſſet. Flagitioſe in primis viventium nomina, & ea, in quibus maxime haerebant, vitia, graveſque conſuetudines in Commentarium conjecta ſervabat: Tum vel ipſos ad ſe arceſſitos paterna charitate arguebat, obſecra-

ſecrabat, obteſtabatur, ne divina abuterentur diutius longanimitate, ac patientia, ſed tandem reverterentur ad cor: vel datis ad Parochos literis eorum zelum urgebat, & operam, ut omni qua poſſent ope, & induſtria eos ad ſanitatem revocare niterentur.

Ne ulla aegrotantibus in vitae diſcrimine poſitis ad bene moriendum ſubſidia deeſſent, de hac re Parochos continenter monebat. In urbe vero ſingulorum, qui eo in periculo verſarentur, ad ſe nomina, & ſtatum deferri praeceperat, neque ut rogaretur expectabat, ſed ad omnes viſendos, juvandoſque ne vocatus quidem ultro accurrebat. Familiaribus, ac domeſticis ſuis edixerat, ut ſi cujuſpiam e vita migraturi neceſſitas poſceret, interdiu, noctuque importuno quovis tempore ipſum monerent, ne ulla juvandi animas occaſio ſibi elaberetur. Valetudinaria, ac noſocomia, pauperum tuguria, tabernas, & caſas ut ut ſordibus, ſituque horridas frequens obibat, tam incenſo erga abjectos, ac depoſitos ſtudio, ut nec horae importunitas, nec morborum contagio, nec odorum foeditas hominem deterrerent, vel impedirent, quominus omnia morituris praeſtaret chriſtianae charitatis officia, atque adjumenta ſalutis. Et pauperes qui-

quidem non praeſentia ſublevare dumtaxat ſua inſtituerat, ſed eorum etiam inopiam medicamentis, cibariis, eleemoſynaque juvabat, & morti jam proximos ſacramentorum ſubſidio, ſanctiſſimis monitis, conſtitutiſque ad vitae exitum precibus communiebat.

Intempeſta quadam nocte nuntiatur, haud procul ab Epiſcopali palatio jacere hominem jamjam moriturum ſclopi glande transfoſſum. Commotus Cardinalis viri infortunio, ſed magis animae periculo, metuenſque, ne ſacramentorum, & Sacerdotis ope deſtitutus miſer occumbat, extemplo ſine ſervis, ſine facibus domo excedit, ad jacentem advolat, praebet aures confitenti, ac bene comparatum ſpiritum ad aeternitatem tranſmittit. Rurſus dum in ſuo apud Threſtum Collegio verſaretur, rogatus ut proxime moriturum in Eſtenſi oppido, quod inde millia paſſuum tria fere abeſt, paſtorali praeſentia, ac benedictione recrearet, cum nulli ad obeundam viam ſuppeterent equi, vergeretque aeſtivus ſol ad meridiem, Gregorius pedes iter confecit, aegrotantem adiit, nec ante reliquit, quam poſtremum morientis ſpiritum excepiſſet.

Eodem juvandi animas ſtudio proſtitutas foeminas, ac voluptatum coeno miſere infixas e ſor-

e ſordido corporis quaeſtu ad honeſtam, & pudicam vitam traducendas curavit. Earum vero complures ſanitati reſtitutas, ne peccandi conſuetudine, aut egeſtatis obtentu ad ingenium redirent, domicilio ad id conſtituto excipiebat, nonnullas matrimonio jungebat, omnes demum aere ſuo liberaliter ſuſtentabat. Adoleſcentulis puellis a profanis amoribus, ac liberiore cum viris agendi licentia revocandis operam non minorem impendit; Nam quo pravam, & periculi plenam conſuetudinem aboleret penitus, atque convelleret, monitis, & cohortationibus, tum edictis, ac paſtoralibus literis egit: Parochos, concionatores, atque apoſtolicos viros, parentes denique ipſos in ſolicitudinis ſuae partes vocatos continenter urgebat, ut conjunctis ſimul ſtudiis, id mali genus prohiberent omnino, atque exturbarent. Virgines, quae divitum paterent inſidiis, quod minus tuto, ac diligenter in paterna domo cuſtodirentur, e parentum, aut propinquorum manibus abductas nobili alicui adjungebat matronae, ejuſque curae, ac vigilantiae committebat, donec in matrimonium collocarentur. Orphanas vero, atque obſcuro loco natas puellas, quae corporis, animique paterent incommodis, itidem matronae cuipiam

muliebribus inſtituendas diſciplinis, atque aere ſuo alendas commendabat.

Longum eſſet hoc loco ſingula perſequi, quae animarum ſalutis ſtudioſiſſimus Paſtor huic rei procurandae excogitabat ſubſidia, atque adjumenta parabat; atque eodem quo ipſe flagrabat juvandarum ſtudio animarum inflammare univerſos vehementer optabat. Hortabatur itaque, rogabat, jubebat, ut in eo ſalutari officio ſe quiſque fidelem, navumque miniſtrum praeberet, nec Epiſcopi ſolum, ſed Dei ipſius adjutorem praeſtaret: Omnes vero praeibat exemplo, incitabat vigilantia, ac labore, ut nullum deſidiae, ac negligentiae locum relinqueret; Nam ſi quando neceſſitas poſtularet, Epiſcopum agebat, & Parochum, catecheſim, & concionem obibat, Inſtitutoris, atque adminiſtri partes implere non dubitabat. Mirabantur plerique tot rebus, atque laboribus unum vel cogitandis ſufficere. Is vero cum tot, ac tanta per ſe ipſe perficeret, nihil a ſe actum putabat, dum quidpiam aliud pro gregis, animarumque ſalute adhuc agendum ſupereſſe exiſtimaret; ut vere illud Caroli Borromaei dictum expleverit: „ Epiſcopi vitam ſitam eſſe debere „ in agendo „.

Hanc

Hanc porro ſolicitudinis plenam, atque laboris vitae rationem ab Epiſcopatus exordio ſuſceptam ad mortem uſque conſtanter retinuit. Cumque ſupremis vitae annis extenuatis jam viribus rogaretur a ſuis, ut a laboribus ſibi temperaret, onerumque ſuorum partem in alios transferret, illud ejuſdem S. Caroli reponebat: „ Epiſcopum decet pro Eccleſia laborantem mori „. Malle ſe ſibi deeſſe, quam Eccleſiae: Nullam ſuae vel valetudinis, vel ſenectutis rationem habendam eſſe, cum de animarum ſalute ageretur; Diffuſa nimirum, & ardens in ejus corde divina charitas ſtudium illud fovebat, quo ad duriſſima quaeque, atque aſperrima pro gregis ſalute non perferenda ſolum, ſed ultro obeunda paſtoralem animum confirmaverat. Hinc ſuſceptos ejus cauſa labores ne ſentire quidem videbatur, immo vero tantam ex ipſis voluptatem capiebat, ut ad novos ſubeundos alacrius incendi, ac roborari videretur.

CAPUT VII.

De profuſa in pauperes liberalitate.

QUamquam Epiſcopi in egenos beneficentia ad juſtitiam pertinere magis videri poſſit, quam ad charitatem, cum Eccleſiae bonorum diſpenſator, non dominus, id largiendo pauperibus tribuat, quod ipſorum eſt; ea tamen, quae ſibi, ſuiſque commodis detrahere non dubitat, ut alienis rationibus ſerviat, ac neceſſitatibus conſulat, rarae admodum, heroicaeque charitatis argumentum eſt. Ac ea quidem benefaciendi diſciplina ita Barbadicus excelluit, ut in eo charitatis genere pares habuerit paucos, ſuperiorem fortaſſe neminem. Miſeros omnes ita gerebat in oculis, ut ſe ipſo cariores habere videretur. Quas enim ad perſonam, ac dignitatem tuendam opes, & facultates acceperat, ad illorum magis ſubſidium, quam ad proprium uſum, & commodum referre ſolebat. Rerum quoque, ac neceſſitatum ſuarum diſpendio ſublevandorum inopum opportunitatem nullam praeteribat: (a) „ Quaſi omnium Pater vivebat omnibus, deerat „ nemini, expanſo omnibus gremio pietatis. De „ qua-

(a) *S. Bern. Serm. 2. de S. Malachia.*

„ quacumque tribulatione clamaretur ad eum,
„ propriam reputabat „.

Quo ſatiaret pauperum famem rei domeſticae curatori edixerat, ut certis quaque hebdomada diebus mendicis omnibus ad Epiſcopales aedes confluentibus panem tribueret, nemini vero quocumque loco, vel tempore ſtipem roganti negaret. Egenas familias, quas mendicare vetabat pudor, apud ſe deſcriptas habebat, quibus occultis opitularetur ſubſidiis, cui pecuniam, cui cibaria, cui veſtes, cui omnia ad vitam, vitaeque dignitatem tuendam neceſſaria clam ſubmittendo. Nonnullis a cenſu, quo prius fuerant, & ſtatu dejectis ita ſuppetias ferebat, ut ne ipſi quidem adminiſtri cognoſcerent, largitionum ſuarum idem ipſe miniſter, & teſtis. Denunciari ſibi a Parochis juſſerat pauperes quotquot ſub eorum cura degebant: Tum ſe ab iiſdem Parochis frequenter adiri volebat libere omnino pro illis ſubſidia rogaturis, quae largiora plerumque quam poſtulaſſent ab eo accipiebant. Excuſabat aliquando ex ipſis unus ſuam, ut vocabat, importunitatem rogandi, quem benigne Cardinalis complexus: „ Non eſt, *inquit*,
„ Fili, quod verearis; Gratus, non moleſtus
„ eſt mihi, qui pro pauperibus rogat. Acce-
„ de

„ de frequens , & pete. Cum alia deſuerint, „ erit hic annulus Epiſcopalis in pauperum „ uſum paratus „ .

Domo egrediens pauperum turmis obſidebatur, quibus modo ſua, modo aliena manu ſtipem large erogabat, ſed quod palam quoque faceret, praedicari non ferebat: Cum tamen effuſas aliquando voces, quibus amantiſſimo Patri plaudebant pauperes, cohibere non poſſet, dixiſſe fertur: „ Praeclaram enim vero laudem „ celebrari Epiſcopum quod fur non ſit „! quaſi vero ſurreptum egenis eſſet quidquid in eorum ſinum non effudiſſet; Neque enim donare ſe, ſed quae propria eorum eſſent perſolvere, ac reddere arbitrabatur: „ Non de meo, *ajebat*, „ pauperes, ſed de ipſorum ego patrimonio vi„ vo, ac ſuſtentor. „

Patebant Epiſcopalis Palatii fores advenis, atque hoſpitibus cunctis, quos ille omni humanitatis officio complectebatur. Parochis Dioeceſanis in primis, aliiſve Sacerdotibus in urbem convenientibus interdicta erant diverſoria quaecumque: Aedium Epiſcopalium parte iis deſignata, ac ſemper inſtructa comiter excipiebantur, communi menſae cum Epiſcopo aſſidebant, & quae ad vitae uſum neceſſaria ſunt parata invenie-

veniebant. Praeerat illis Sacerdos, qui non ſolum vitae commodis proſpiceret, ſed mores quoque diligenter curaret. Peregrinos, quorum magna eſt Patavii frequentia, cum ob proximam Venetiarum urbem, tum ob celebre divi Antonii ſepulchrum, humaniſſime excipiebat, abeuntes vero aliqua ſemper ad viaticum pecunia muniebat. Quos ipſe ab haereſi, & ſchiſmate, aut ex Judaica, vel Muhamedana ſuperſtitione ad Catholicam Religionem traduxerat, eos in poſterum quaſi domeſticos curae habebat: Familiarium praeterea loco habebantur Epiſcopi, & Sacerdotes religionis cauſa e patrio ſolo pulſi, atque ope deſtituti: Ex Epiſcopi penu cuncta illis ſuppetebant ad honeſtam vitae ſuſtentationem.

Brevi narratione indicari vix poſſunt enutritae ab eo familiae, conſtituta Coenobiis, ac Monaſteriis vel annua, vel quoque menſe ſubſidia, contributa aegrotantibus, & carcere incluſis quotidiana alimenta, puellarum ob formae elegantiam periclitantium aere ipſius in tuto poſita pudicitia, collatae virginibus dotes, ingenui adoleſcentes in Seminario alti, educatique Epiſcopi ſumptu. Paucis multa complectemur. Nullum eſt chriſtianae liberalitatis, ac providentiae genus,

genus, quod indigentibus, & quovis incommodo preſſis pro re, pro tempore, pro perſonis non exhibuerit. Faciles ad ſe hujuſmodi hominum eſſe aditus non modo paſſus eſt, verum etiam juſſit, religioni habens niſi eos quovis momento temporis admiſiſſet, ac ſublevaſſet. Quaerebat occaſiones ipſe juvandi, ac miſerorum neceſſitates, ut ita dicam, venari videbatur. Ubi de ope cuipiam ferenda ageretur, nihili ingentem quemcumque ſumptum, aurique ſummam pendebat, animo ita ſemper comparatus, ut omnes una die proventus ſuos, ſi occaſio eſſet, in pauperes profundere non dubitaret, numquam laetior futurus, quam cum nihil jam domi reliquum liberalitas ejus feciſſet. Largitatis ejuſmodi, ac profuſionis exempla multa cum ſint, unum hoc afferam ex Jacobetto, ne pluribus percenſendis ſim Lectori moleſtus.

Ejus ad pedes abjecit ſeſe aliquando nobilis foemina recens viduata viro, & quantum dolor, & lacrymae fari permittebant, narravit ſe mortalium omnium miſerrimam duplici infortunio conflictari; quod & virum amiſiſſet, & angeretur graviter a creditore dante ei optionem turpem, ut debitum aut pecunia ſolveret, aut pudicitia redimeret; addebatque, conſilium, & opem

opem flagitans, ea omnia, quae juſtus dolor eloqui pro cauſa conſuevit. At non ita multis perorandum apud ipſum fuit, a quo ſola rei narratione plus etiam multo quam vellet impetravit. Interrogavit Cardinalis de nomine creditoris, deque debitae pecuniae ſumma, quam eſſe intelligens argenteorum nummum quatuor millia, nihil commotus: „ Confide, inquit, Filia, „ non amplius erit tibi ille moleſtus „. Tum rei familiaris praefectum ad ſe arceſſitum, jubet illico afferre ſibi eam pecuniae vim, atque opera uſus viri fidelis creditori de ſuo ſatisfecit. Ita, quod illa ſperaſſet numquam, egeſtatis ſimul, ac pudicitiae periculum avertit providus, ac munificentiſſimus Paſtor.

Mirabantur plerique, quomodo unius Epiſcopi copioſi licet, opulentique proventus, additis quoque paternae domus ſubſidiis, profuſae adeo largitati ſufficerent. Nam recepti, datique ſumma ad calculum vocata, ſubductiſque accurate rationibus repertum eſt, Patavini Pontificatus tempore, quod ſpatium fuit annorum XXXIII, ſupra octingenta Venetorum argenteorum nummum millia in pauperes, ac pios uſus ab eo erogata fuiſſe. Ac niſi liberalitatem tantam divina manifeſte providentia ſuſtentaſſet, incredi-

bilis prorſus, ac diſſoluta fortaſſe videretur. Non ſemel apud eum rei familiaris conquerebantur curatores, largitiones fieri ſupra quam ferre poſſet aerarium, exhauſtum illud jam eſſe, jam nihil in horreis, in promptuariis cellis, in arca reliquum eſſe, quod profunderet; beneficentiae proinde ſuae, ac largitionibus modum ſtatueret, cum impares effuſioni tantae cenſus eſſent; ſed tantum abſuit, ut manum ille contraheret, & quidpiam liberalitatis ſuae remitteret, ut potius hanc unam inveniendae, augendaeque pecuniae rationem eſſe affirmaret, ſi largius, & cumulatius effunderetur in pauperes.

Cum jam nulla ſupereſſet in domo pecunia, allatum ad ipſum eſt in ſummo verſari honeſtatis, & famae periculo pauperculas virgines duas: Currum, & equos ſtatim divendi juſſit, eorumque pretio dotem illis conſtituit, qua nuptui traderentur; tum lectuli quoque ſui ſindones doti adjiciendas praecepit. Nobiliores aedium Epiſcopalium partes aulaeis, ac periſtromatis inſtructas ſemel, iterumque denudavit, atque ornamenta diſtraxit omnia pauperibus conveſtiendis, dicere ſolitus „ algere pauperes, non vero parietes „. Quod cum viventi adhuc amantiſſimo ejus patri nunciatum fuiſſet, novis aere ſuo peri-

peripetaſmatibus duo ejuſdem Palatii conclavia inſtruenda curavit; Tum Cardinalem filium his verbis commonuit: „ Cave ſis, ne haec quoque „ divendas; Non enim tua, ſed mea ſunt „. At non parietes tantum, ſeipſum quoque, ut conveſtiret inopes, exſpoliare non dubitavit. Contigit Romae, ut in aedium ſuarum atrio ſeminudum pauperem e feneſtra proſpiceret: Hunc ad ſe per ſecretiores ſcalas advocatum, detractis ſibi interioribus veſtibus induit, ac nemine conſcio per eaſdem ſcalas bene contectum dimiſit. Patavio Venetias profecturus in hominem incidit laceris omnino pannis involutum; Ejus calamitatis miſeratione commotus, quod ſibi recens comparatum fuerat ab Oeconomo pallium in pauperis humeros tranſtulit, nec alio ſibi ſuffecto, quod inſtituerat iter tenere perrexit. Stratum denique ſuum, S. Thomae Villanovenſis exemplo, indigenti cuidam non exhibuit tantum, ſed etiam ſubmittendum curavit.

Itaque rebus ipſis ad vitam, vel dignitatem tuendam neceſſariis in pauperum commoda attributis, tum ſingulari victus, ceterarumque rerum ad ſe pertinentium moderatione, ac parſimonia munificentiam ſuſtentabat; Nam menſa illi infra Cardinalis conditionem frugalis, & parca

ad coenobitarum rationem, ac diſciplinam comparata, cubiculum pauperrime inſtructum, veſtes intimae minimi pretii, obſoletae, attritaeque, novas enim admittere recuſabat, nolle ſe dicens ornari ex patrimonio pauperum: quidquid autem foret indumenti interioris diſciſſum, lacerum, manibus ipſe ſuis ſarcire ſolebat, ne ſi cui id committeret, aliud ſubrogaretur; quo viliora, eo ſibi paupertatis commendatione chariora erant quaecumque ad ejus corporis uſum pertinerent, cujus adeo negligens erat, ut multa ſibi ultro detraheret, plurima deeſſe pateretur, quae non modo dignitati, ſed neceſſitati convenirent. Ac ea quidem agendi ratione Evangelicae paupertatis cultor eximius alienam depulit egeſtatem, divini illius Paſtoris exemplo, (2. *Cor.*8.9.) „ Qui cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, ut illius inopia divites eſſemus „.

CAPUT VIII.

Qua fuerit in propinquos, & familiares charitate.

CUm ea, quae a natura nobis ingenita ſunt, divinae gratiae munus non auferat, ſed compleat magis, atque perficiat, inſitum omnibus

bus erga affines , & ſanguine junctos amorem divina charitas in Gregorio non imminuit, vel extinxit, ſed honeſtavit potius, & auxit, atque ad perfectae , abſolutaeque virtutis rationem perduxit . Dilexit igitur conſanguineos , gentileſque ſuos , quantum chriſtiana religio , atque impoſita divinitus domeſticorum cura , tum diſciplinae eccleſiaſticae leges juberent , aut permitterent, recto nimirum charitatis ordine, quo ſecundum Deum , ac propter ipſum diligendi in primis ſunt, qui nobis arctius conjunguntur. Optimum , amantiſſimumque ſui parentem tanto complexus eſt ſtudio, quantum gratiſſimi filii in patrem eſſe poteſt maximum , nec enim alium habuit quempiam in ſua vita chariorem. Ejus propterea mortem acerbiſſime tulit, conceptamque ex illa aegritudinem, ut ut cohibere virtute conaretur, diſſimulare tamen haud poterat, perſaepe teſtatus , non alia magis jactura, vel caſu perculſum ſe in vita fuiſſe , atque commotum. Antonium deinde fratrem Senatorem ampliſſimum rebus, muneribuſque domi, foriſque geſtis clarum , magna apud omnes exiſtimatione , atque in Republica auctoritate , tum ejuſdem filios non minus ſanguinis vinculo , quam praeclarae indolis, virtutumque ſimilitudine ſibi con-

conjunctos charos habuit, ac ſingulari benevolentia proſequebatur. Itaque cognati amantiſſimi in eos, ceteroſque propinquos officia omnia cumulatiſſime praeſtitit, atque ubi honeſtae, juſtaeque eorum rationes agerentur, ſuas quoque agi putabat. Venetias cum adiret, adibat autem perquam raro, atque unius fere Eccleſiae ſuae cauſa, in paternis aedibus diverſabatur, viſere ſolebat affines, ac gentilium domos obire: Eorum quoque nuptiis intereſſe non recuſabat; quae tamen more, inſtitutoque nobilium conferri ſolent in ſponſos xenia non impertiebat, quod pauperibus auferri exiſtimaret, quidquid leves ob cauſas minime egentibus traderetur. Quapropter tantum aberat, ut ſuis quidpiam largiretur, ut ne minimum quidem ex patrimonio ſibi obvenientium penſionum eorum uſui arbitrioque relinqueret: Exigebat omnia, eorumque praeterea rebus utebatur identidem in egenorum ſubſidium, nonnullo etiam paternae domus impendio: Nam ex quo primum tempore Romam contendit ad vitae ſuae exitum, quinquaginta ut minus argenteorum nummum millia inde accepiſſe compertum eſt.

Propinquorum neminem in Epiſcopalibus aedibus, excepto patre, contubernalem, aut convivam

vivam admiſit; multo minus eorum quempiam haerere ſibi voluit aut rei familiaris adminiſtrum, aut muneris curarumque adjutorem, ne vi forte ſanguinis, & dilectionis abſtractus animus minus aliquid rectum diſſimularet, atque permitteret. Fratris ſui filium, quod officia ſua apud Cardinalem per ejus ſamiliarem interpoſuiſſet, ut mitius ageret cum ſacerdote crimine obſtricto, graviter reprehenſum admonuit, nihil ſibi rei eſſe in his, quae ad Eccleſiae ſuae regimen pertinerent. Fratris filios ſtudiorum cauſa Patavium miſſos pie, ſancteque inſtituendos, erudiendoſque in Seminario ſuo curavit, perſoluto tamen a patre annuo convictus pretio alumnis communiter conſtituto. Etſi autem propter egregiam eorum indolem charos in primis haberet, ſuo tamen numquam contubernio excepit, aut convictu. Nihil egit umquam, aut cogitavit pro augendis eorum commodis, promovendis rationibus, aut transferendis in eos Sacerdotiis, Eccleſiaeque muneribus, adeo in neminem minus effuſus, quam in conſanguineos fuit.

Moriens quoque eximium reliquit moderationis hujus exemplum. Supremis enim tabulis, non unum de gente ſua, ſed Patavinae Eccleſiae Seminarium ex aſſe haeredem conſtituit, ac ne prae-

praeterire omnino fratrem videretur, Epiſcopalem ei annulum amoris, ac benevolentiae ſuae pignus legato reliquit. Conſanguineis ſuis dum viveret dicere conſueverat: „ Multa vobis re- „ linquam moriens, propterea quod nihil omni- „ no relinquam „: Nam quae Eccleſiae bona ſint ſi in propinquos deriventur quantocyus dilabuntur, atque in nihilum abeunt, rem quoque domi bene partam abſumere ſolent, ac veluti flamma vorax in fumum redigere. Ex Dei tamen benignitate multo plura ſperare jubebat, quam quae ab ipſo expectare, vel conſequi potuiſſent: Et vero promiſſorum fidem rei eventus probavit. Nam Barbadica Gens jampridem divino favore inſignis, atque clariſſima, eo extincto cum privatis opibus ſi quae alia, tum ſummis in Republica honoribus floruit, ut vix ulli ſecunda habeatur. A Gregorii obitu Antonius ejus frater Aedium S. Marci Procurator, quod ſecundum Ducem ampliſſimum eſt in Republica munus, inſtitutus pro meritis fuit: Johannes Franciſcus ejuſdem filius ſemel, atque iterum ad Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV. deſignatus Orator, florenti adhuc aetate *magnus*, ut vocant, in continenti ditione *Sapiens* electus, honoribus, quos in Republica ſummos jam obtinue-

nuerat, repente poſthabitis, in Eccleſiae militiam tranſiit, ac brevi poſt tempore Veronenſem Eccleſiam ab Innocentio XII. gubernandam accepit, mox a Clemente XI. ad Brixienſem translatus, & paulo poſt S. R. E. Cardinalium Collegio adjunctus, ab Innocentio demum XIII. Patavinorum Epiſcopus deſignatus patrui ſui Gregorii in ea Sede ſucceſſor veſtigia preſſit, eamdemque Eccleſiam ſanctiſſime adminiſtravit. Gregorius vero alter fratris filius Senatoria, ac Equeſtri dignitate auctus, atque conſpicuus magnis in Republica muneribus naviter, ac feliciter geſtis clariſſimus vixit. Sed de propinquis ſatis.

Quam vero familiarium, ac domeſticorum curam gereret, qua eos ſolicitudine, & charitate complecteretur, paucis exſequemur. Familiam ſuam, quod alio loco indicavimus, ita ordinaverat, atque inſtituerat, ut religioſorum hominum coetus, probitatis, modeſtiae, continentiae, pietatis, omniumque virtutum ſchola videretur. Menſa, lectio, & oratio communis omnibus, deſignata ſingulis officia, diſtincta actionibus tempora, conſtitutae veſtiendi, loquendi, agendique leges, praepoſitus univerſae familiae morum inſpector, ac rerum ſpiritualium inſtitutor. In munus quique ſuum intenti,

atque in ſanctiſſimi Cardinalis mores tamquam in ſpeculo intuentes, eoſque in ſe transferre ſtudentes, erant veluti filii ſub patris diſciplina mutua charitate concordes: Cardinalis autem in illis regendis, tractandiſque patrum adverſus filios amorem imitabatur. Ne quid eis ad victum, ceteraſque neceſſitates deeſſet, diligenter curabat, neque perſolutis dumtaxat in tempore ſtipendiis, ſed praemiis quoque pro cujuſque meritis, ac laboribus benevolentiam, ac liberalitatem iis ſuam probabat. Quin & ipſorum, quos habebant, affinium, propinquorumque commodis, aut neceſſitatibus aliquando proſpiciebat. Copiam ſui faciebat omnibus comitate mira, infimis quoque famulis ad ſui alloquium non admiſſis modo, ſed interdum vocatis; cum iis ita agebat, ut fere ſe parem illis praeberet. Singulorum ingenia, ut fert hominum natura, ſuis aſperſa vitiis, ſine quibus naſcitur nemo, aequiſſime ferebat, leviora diſſimulabat, benigneque excuſabat, dicere ſolitus, ne ſe ipſum quidem facile in omnibus placere ſibi, ac ſatisfacere poſſe, multo autem difficilius eſſe ad alienum arbitrium, voluntatemque viventes nihil offendere, nuſquam incurrere, ac labi. In reprehendendis eorum erratis exaggerata numquam, vel acer-

acerba oratione, ſed leniſſimis utebatur verbis; & ſi quid ipſis praecipiendum eſſet, ejus juſſa vix a precibus differebant. Eorum obſequiis adeo parce utebatur, ut vix admitteret, niſi quae ritus, aut officii cauſa recuſari non poſſent: quare non ſervire illi, ſed filiorum inſtar amantiſſimo patri obſequi, ac gerere morem videbantur.

Praecipua tamen morbo aliquo implicitis, atque jacentibus benevolentiae, & charitatis ſuae argumenta praeſtabat. Suorum neminem in publica Noſocomia aegritudinis cauſa amandare, ac domo ſua efferri niſi mortuos voluit. De ipſorum, tamquam de propria ſalute, vehementer ſolicitus, medicos, cuſtodes, ac famulos, medicamenta, remque omnem, operamque ad curam neceſſaria liberaliter impendebat. Frequens eos adibat, & ſi quando luſtrandae Dioeceſis cauſa abeſſe contingeret, eos viſendi impatiens excurrebat in urbem, aſſidebat lectulo, verbiſque ſuaviſſimis recreabat. Curabat autem in primis, ut anteactae vitae maculas poenitentiae ſacramento accurate detergerent, ſeque ad vim morbi, doloreſque omnes fortiter, conſtanterque perferendos Chriſti, Sanctorumque exemplis propoſitis compararent. Ubi vero poſt

adhibita humanae artis remedia morbo tandem interiiſſent, nec reliquiſſent unde efferrentur, curabat ipſe eorum funera, animaſque Eccleſiae ſuffragiis levabat. Relictam ab iis familiam in fidem, atque tutelam recipiebat ſuam: Filios vel arte aliqua, vel literis aere ſuo inſtituendos tradebat: Filias conlata dote viris collocabat, viduas uxores alebat, ut hae maritum, filii patrem vix ſe amiſiſſe ſentirent, ac levior ea videretur jactura, quam beneficentiſſimi Cardinalis liberalitas multo cum foenore compenſabat.

CAPUT IX.

De Charitate, ac Beneficentia in adverſarios quoque, ac ſibi infenſos.

AD ſuorum dilectionis metas non haeſit Barbadici charitas, ſed altius, longiuſque progreſſa in omne proximorum genus ſe quam latiſſime effudit, & quae difficillima, ac ſumma eſt chriſtianae diſciplinae perfectio, inimicos quoque, ſibique infenſos homines amore, ac beneficentia complexa eſt ſingulari. Multos ille, dum pro munere Paſtorali gregis mores componere, diſciplinam reſtituere, jura ſua tueri adgrederetur, nactus eſt adverſarios, qui non modo Epiſcopo obſiſterent, ac repugnarent, ſed fa-

famae quoque, vitaeque ipſius inſidias, exitiumque molirentur. Qua in re, ut in aliis, Caroli Borromaei vivam ſe imaginem praeſtitit, cum pares ob cauſas paribus fere ſit conflictatus moleſtiis, laceſſitus injuriis, controverſiis vexatus, atque ad necem ipſam quaeſitus. Mitto quae Bergomi, dum Cleri, populique reformationem urgeret, in ipſum conflata ſunt odia, jactata convicia, inſtitutae criminationes, ab iis nimirum, qui, ut aegri inſanientes medicinam, ac medicum odiſſe ſolent, ſanctiſſimi Paſtoris zelum averſabantur, & iniquo ferebant animo inveteratas oppugnari corruptelas, ac novam induci morum, vitaeque rationem, ac diſciplinam. Hoc ſcilicet optimis, ſanctiſque Epiſcopis uſuvenire ſolet, ut dum Paſtorum Principis Jeſu Chriſti exemplo vitiis, & pravis moribus bellum indicunt, multorum invidiam ſubeant, variiſque aerumnis, obtrectationibus, atque injuriis cum ipſo excipiantur; *Non enim eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum Lucae c. 6. ℣. 40. nec eſt ſervus major Domino ſuo. Joh. cap. 15. ℣. 20.*

Ad Patavinam Sedem translatus gravem ſubiit adverſus Epiſcopalia jura controverſiam. De ſua in viſitando Canonicorum Capitulo poteſtate apud laicum Magiſtratum, qui ejus rei cogni-

cognitionem ad ſe pertinere arbitraretur, actione poſtulatus rationem omnem referre coactus eſt, ut perturbationes, quae publice excitari poſſent, quoquo modo impediret. Cauſae ſuae aequitate, bonitateque confiſus omnia potius incommoda perpeti, ac ferre, quam de jure ſuo decedere conſtituerat, quod ſine dignitatis, & ſacramenti Epiſcopalis injuria fieri abs ſe non poſſe intelligebat. Concordiam tamen aliquam cum ſuis adverſariis non modo non refugiebat, ſed vehementer optabat, & vero ejus ineundae viam omnem quaerebat. Iis autem in ſententia obfirmatis, atque omnia pejorem in partem trahentibus, patientiae, modeſtiae, ac gravitatis ſuae locum Cardinalis tenebat, nulla umquam indignatione commotus. Quotidianis interea ad Deum precibus, omnique officiorum genere ad meliora eos conſilia perducere, ſibique averſos animos conciliare nitebatur; At ii durius obſiſtentes, a novis machinationibus, technis, atque moleſtiis inferendis ſibi non temperabant. Peractis ſolemni quodam die in Cathedrali Templo Pontificalibus, cum ad Epiſcopales aedes Cardinalis deduceretur, en ſubito apparitorem, qui Veneti Magiſtratus decreto eidem denunciat, Canonicorum viſitationem ſibi omnino inter-

terdictam. Rei inſolentia, atque indignitate commoveri omnes, ac fremere, illatamque ſanctiſſimo Antiſtiti injuriam deteſtari. At is graviſſimo ac publico cum dignitatis ſuae contemtu eum in modum acceptus, tamen ne ſubiraſci quidem, aut verbo conqueri offenſae acerbitatem. Re poſtea ad Senatum delata, dies Canonicis dicta, iique cum apparitore in crimen vocati juſta pro delicto poena multati ſunt. At mitiſſimus Paſtor veniae pro reis apud Judices interpellator, ne qua in re plecterentur, multis precibus impetravit.

Excitatae litis anteſignanus, diſſidiorumque fax praecipua erat Paulutius Canonicus Epiſcopalis Curiae jampridem Vicarius a Barbadico conſtitutus, qui procuratione a Capitulo accepta gravius ceteris Cardinalem exercuerat. Accidit, ut inter candidatos, quos Venetorum Reſpublica Romano Pontifici proponere conſuevit, quo ex ipſis unum in ſacrae Auditorum Rotae collegium adſciſcat, Paulutius quoque deſcriberetur. Pro ſumma qua erat Gregorius apud Clementem X. prudentiae, ac probitatis exiſtimatione, ſententiam rogatus eſt a Pontifice Maximo, ecquem illorum ceteris ad id muneris gerendum aptiorem, digmioremque arbitraretur. Is

Is autem Paulutium ceteris praehabendum videri ſibi reſcripſit. Datis praeterea literis ad Fabium Cardinalem Chiſium multis hominem ornatum laudibus omni officiorum genere commendavit, quae ſalutaria in primis Paulutio fuere; Tantum enim Barbadici judicio Pontifex detulit, ut candidatis aliis eumdem praetulerit magna omnium admiratione, Chiſii Cardinalis cum primis, qui praeteritarum rerum probe gnarus, praeclarum vindictae genus effuſe praedicavit, facilem, expeditamque viam eſſe dicens ad comparandam Barbadici gratiam, ſi quis homini adverſatus in ejus offenſionem incurreret. Sed cum permulta alia in ejus vita occurrant admirabilis hujus charitatis exempla, ſingula perſequi, ac memorare longum, ac difficile eſt: Unum addam, quo afferri non poteſt illuſtrius, ac plane neſcio, an alias umquam Carolum Borromaeum, cujus erat Gregorius aemulator eximius, atque perpetuus, luculentius expreſſerit;

Nobilis vir, cujus nomen ob familiae claritatem ſilentio involvimus, indigne adeo, acerbe, ac ſervilem in modum uxorem habebat ſuam, ut tanta hac aſperitate defatigata, metuenſque ſibi a ſaevitie mariti pejora, Cardinalem adierit conſilium, & opem imploratura.

Abſtra-

Abſtraxit ſtatim Gregorius ab inhumani mariti latere miſeram, ejuſque ſaevitiae ereptam tutum in locum traduxit. Haec odii cauſa, ac furoris, quo percitus nefarius ille horrendum cepit de perdendo Cardinali conſilium. Scelus omnium teterrimum machinanti nec animus patrandi defuit, nec loci, ac temporis opportunitas. Occaſionem nactus, dum Cardinalis in rheda ſedens ab Eſtenſi oppido ad Threſtenſe veheretur collegium, ex inſidiis ſubito aggreſſus breviorem ſclopum in eum laxavit. At ſacrum illud caput Deo ſervare volente, in irritum ceſſit parricidae ictus; nam emiſſae, jaculataeque plumbeae glandes tranſmiſſo curru Gregorium ne leviter quidem attigerunt. Repentino caſu exterriti primum, tum ſceleris atrocitate vehementer commoti Cardinalis comites, ac familiares, ſacrilegi aggreſſoris nomen deferendum, perſequendumque judicio tantum crimen ſtatuerunt. At Cardinalis in ea omnium perturbatione immotus, ac plane tranquillus, ne verbo quidem, aut ſigno concitati aliquo iracundiae motu animi, ad ulciſcendum paratos coercuit, horrendumque facinus non modo in judicium adduci, ſed in vulgus efferri, enunciarique prohibuit.

Nobilis alter vir Cardinalem ſupplex adierat neſcio quid momentoſum ab eo impetraturus. Negavit Gregorius id praeſtare ſe poſſe, addiditque juſtas negandi cauſas; At ille: Nonne hoc ipſum alteri poſtulanti (quem nominavit) jam pridem facile indulſiſti? Ita ſane, Cardinalis reſpondit; at debebam illi plurimum, eramque adeo obſtrictus, ut negare quidpiam roganti non poſſem; Nec enim ignoras, quod compertum eſt omnibus, quantum is mihi infenſus moleſtuſque jam fuerit: quare acceptas ab eo injurias chriſtiano more ulciſci cum vellem, ac porro deberem, benevolentiam, ac voluntatem in ipſum meam, quando res ita tulit, omnino declarandam putavi. Tum ille: Atqui res ita cum ſit, jure quoque meo id ego abs te contendere poſſe videor; Nam, ſi probe memineris, infenſus ego quoque tibi aliquando fui; illataſque homini offenſas, quas, uti Gregorius ſolebat, oblivione preſſerat, ac deleverat, in ejus memoriam revocavit. Quid plura? Hoc uno quod voluit impetravit, & quod precibus extorquere numquam potuiſſet, injecta obtinuit maleficii, injuriaeque recordatione. Ita nimirum praeſtabat Barbadicum aliquando laeſiſſe, quam numquam; cum meliore apud

ejus

ejus benevolentiam loco eſſent aliquando infenſi, quam ſemper innoxii, eorumque malitiam non compenſaret modo beneficiis, ſed vinceret, oneraret, ac prorſus obrueret.

CAPUT X.

Ejuſdem in omnes lenitas, ac manſuetudo.

SPlendida haec in hoſtes ipſos beneficentia ab eo proficiſcebatur lenitatis, ac manſuetudinis ſpiritu, qui vel charitas ipſa eſt, patiens nimirum, benigna, omnia ferens, omnia ſuſtinens, vel fructus eſt charitatis praecipuus. Et ceterarum quidem virtutum a Carolo Borromaeo ſumſit Barbadicus exemplar, ad quod ſe referret, atque componeret, paſtoralis vero manſuetudinis formam cum ab ipſo divino Paſtore, tum a mitiſſimo hauſit Franciſco Saleſio, quem feliciter adeo expreſſit, ut ejus ſuaviſſimam indolem dulcedine charitatis perfuſam in ſuos omnino mores tranſtuliſſe videretur. Erat Gregorius, quod de Saleſio quoque memoriae proditum eſt, natura paulo magis irritabili, ſubitiſque concitationibus obnoxia, quod ubi moleſti aliquid incidiſſet, erumpens ſubito in vultum

flamma ſtatim indicare ſolebat. Sed quo inſurgentes animi motus frangeret, atque comprimeret, a prima adoleſcentia diu, multumque ſecum ipſe luctatus, id demum contentione virtutis, quod pauci s contingit, eſt aſſecutus, ut iram in poteſtate habere videretur. Quare nullum ferme ejus veſtigium in ipſo poſtea apparebat, ut habitudine cum eſſet ignea, atque bilioſa, frigidus, atque phlegmaticus vulgo haberetur. Qui cum eo familiariter vixere, hominemque proxime obſervarunt, non aliud in eo commotae aliquando bilis ſe indicium vidiſſe teſtati ſunt, quam quod manus ſibi leviter perfricaret. Cum difficile ſit famulis, ac miniſtris indiligentibus, tardis, ac ſaepe errantibus non ſubiraſci aliquando, ac ſuccenſere; quotidiana tamen eorum errata nitiſſimus Cardinalis non diſſimulabat dumtaxat, atque ferebat, ſed minuere identidem, atque excuſare ſolebat.

Obriguerant ei vi frigoris manuum nervi, ut nullus jam eſſet digitorum uſus, & calamum ad ſcribendum tenere vix poſſet. Medicorum conſilio calida adhibenda erant ad fomentum vinacea, quo fieri poſſe ſperabant, ut motus, ac vires recuperarentur. Attulit cubicularius ea non calida modo, ſed fervida, ac plane ebullientia,

lientia, quibus utramque manum cum injeciſſet Cardinalis, uſtulatas, ac ferme excoriatas retraxit, magno certe doloris ſenſu, quem tamen admirabili patientia tulit, atque ita diſſimulavit, ut ne verbo quidem imprudentis, incautique famuli oſcitantiam, pudoremque oneraverit.

Omni tamen cruciatu corporis graviora fuere, quae ob tuenda Eccleſiae, dignitatiſque ſuae jura per annos ſupra viginti ab adverſariis tulit incommoda, inſectationes, injurias, incredibili ſemper moderatione, animique tranquillitate imperturbata. Fuere nonnulli, qui dum contentioſo judicio res agerentur, modeſtiae, ac reverentiae erga ſanctiſſimum virum obliti, maledictis, conviciis, atque calumniis proſcindere non formidarent, eumque non obſcure, ſed palam velut imprudentem, pertinacem, illuſum traducerent, ac ſugillarent. At ille furentium hominum vicem dolens magis quam ſuam, illius exemplo, qui cum malediceretur, non maledicebat, erat *ſicut homo non audiens, nec habens in ore ſuo redargutiones*; Pſ. 37. Cumque malignos obtrectatores pro ſua poſſet auctoritate comprimere, patientiae maluit, ac lenitatis exempla, quam rigoris, & poteſtatis argumenta proferre. Citra lectoris ſtomachum, atque faſtidium recenſeri

cenſeri ea vix poſſunt, quibus ab adverſariis indigne habitus, ac laceſſitus, ne leviſſimum quidem edidit exaſperati animi indicium. Operae tamen pretium erit, quaſi ad ſpeciem tantae virtutis, ex multis rebus, quae in hoc genere acciderunt, unam, atque alteram commemorare.

Dum palam, multiſque praeſentibus, ut quotidie ſolebat, ad ſe adeuntes audiret, acceſſit ex improviſo Cathedralis Eccleſiae Archidiaconus, qui fremens, atque a mente dejecto ſimilis impudentiſſime quaſcumque voluit in ſanctiſſimum Cardinalem contumelias conjecit. Immotus ille, atque imperturbatus veſanum hominem ſilentio excepit: Tum pauliſper loco digreſſus in ſuum ſe cubiculum recepit, ubi ante Crucifixi imaginem in genua provolutus, Redemptoris ſui probra mente recolens, ad omnes ejus exemplo injurias forti animo perferendas ſe communivit. Mox in auditorium ſerena, atque exporrecta fronte revertens, hilarem perinde ſe exhibuit quaſi nihil moleſtum accidiſſet.

Monachorum Eccleſiam jure, ut quidem arbitrabatur, ſuo viſitaturus in ſacrarium progrediebatur, ubi Pontificalibus indueretur. Reſtitit progredienti Monachus, adituque prohibitum publica in via ſacras ſub dio induere ſibi veſtes

veſtes coegit. Illatam ſibi, ac perſonae quam ſuſtinebat injuriam mitiſſimus Praeſul ſine querela diſſimulavit, ac tulit, & paulo poſt ad ſe adeuntem Monaſterii Praeſidem, nulla injecta offenſae mentione, benigniſſime excepit. Par exhibuit lenitatis exemplum, cum edita a ſe decreta publicis affixa locis Canonicorum juſſu revulſa, ac diſciſſa ſunt. Temerarii auſus executorem clericum non alia multatum voluit poena, quam paterna admonitione, qua benigne correptum impune dimiſit.

Peracerbum aliud offenſae genus calumnias, ac ſparſos in vulgus libellos placide adeo, moderateque pertulit, ut, quod toleratu graviſſimum eſt, ne ſentire quidem videretur. Delatum eſt, impudentem, malignumque Parochum Daemonis impulſu atrocem in ipſum ſatyram publicis in locis affixiſſe, quo ab omnibus legeretur. Aequiſſimum erat de indigno ſacerdote poenas exigere, & vero expectabant omnes, quo juſta erumperet Cardinalis offenſio. At ille nec in auctorem libelli inquiri voluit, nec ſeverius in illum animadvertendum putavit, ſed compellatum ad ſe maledicum, objectaque criminis gravitate, ut facti ſalubrius poeniteret, tantummodo per aliquot dies in Seminario pias exercitationes obire

obire juſſit. Nec alia fere in delinquentes Parochos, aut Sacerdotes animadverſione utebatur. Sceleri, ac vitio cum eſſet quam qui maxime infenſus, de illorum tamen fama, atque eccleſiaſtici ordinis exiſtimatione erat cum primis ſolicitus. Peccato itaque obnoxios ad ſe caute remotis arbitris arceſſitos, gravi primum ſermone, ſed paterna ſuavitate reſperſo, objurgabat, ac commonebat; tum, ſi res poſtularet, ſpiritualium exercitiorum receſſu, aliiſve ſalutaribus poenis emendandos dimittebat. Ita porro aliena vulnera leni manu contrectans cum miſericordia judicium, cum manſuetudine zelum, cum lenitate rigorem temperabat, &, quod monebat Gregorius Eccleſiae Paſtores, ſe ſubditis pietate matrem, diſciplina autem patrem exhibebat.

Majorem vero amantiſſimi Patris lenitatem, benignitatemque ſentiebant, qui eum vel conſilii, vel auxilii, ac praeſidii cauſa continenter adibant. Cum omnes peramanter excipiebat, tum importunos quoque, moroſos, querulos, intempeſtivos complectens, neminem repellebat, neminem non patientiſſime audiebat. Pauperes in primis, infimaeque fortunae homines ſtatim admitti jubebat, officii ſui eſſe ducens eas maxime oves juvare, ac fovere, quae paſtoris ope,

& au-

& auxilio magis indigerent. Eorum querelis, atque neceſſitatibus laxabat paterna viſcera, ſeque totum tribuebat: Erigebat timidos, recreabat afflictos, opitulabatur egentibus, agebat cum illis, ſicut pater cum filiis; neminem, quod a ſpe obtinendae rei dejectus eſſet, triſtiorem quam venerat abs ſe dimittebat; Nam ſi poſtulantium votis annuere, atque indulgere non poſſet, juſtam repulſae cauſam triſtitiae, ac moeroris ſui teſtificatione declarabat, ut non quidem ſe nolle, ſed omnino non poſſe plane intelligerent.

CAPUT XI.

In ſuis, atque Eccleſiae rebus gerendis prudentia.

AD animarum regimen, Eccleſiaeque gubernationem, quae ars eſt omnium difficillima, vocatus a Deo Gregorius actionum, virtutumque omnium moderatricem prudentiam attulit Epiſcopo dignam, & graviſſimo muneri parem. Ingenium cum a natura accepiſſet acutum, ac perſpicax, acre, rectumque judicium, indolem vero ſedatam, atque tranquillam, a prima adoleſcentia maturitatis, ac prudentiae in-

dicia praetulit fere ſenilis. Acceſſere paternae inſtitutionis praecepta, & exempla, bonarum artium, divinarumque rerum ſtudia, legum, hiſtoriarumque notitia, ſapientum virorum conſuetudo, rei denique publicae adminiſtratio, uſus, & experientia; quibus adjumentis, atque praeſidiis ſe ipſum, ceteroſque regendi, gubernandique ſcientiam mirifice auxit, atque perfecit. Sublimioribus tamen, atque tutioribus quam humanis ea nitebatur rationibus, atque ſubſidiis: divinis enim actiones omnes metiebatur principiis, atque ad ſolas chriſtianae diſciplinae leges omnia ſua conſilia, & opera exigebat. Eam in primis averſabatur prudentiam, quae carnis dicitur, eſtque Deo inimica, quod quaerat quae ſua ſunt, atque humanis ad id artibus aſſequendum connitatur. Eam vero conſectabatur unam, quae, aeterna in omnibus, ac divina ſpectans, non alium ſibi agendorum finem conſtituit, quam Dei gloriam, ac ſempiternam hominum felicitatem. In quacumque igitur deliberatione, atque conſilio illud primum conſiderando, ac providendo cavebat, ne quid religio, aut animarum ſalus detrimenti caperet, tum cetera diſponebat.

Negotia omnia cum privata, tum publica accu-

accuratis precibus antevertebat, metuens ne aberraret in multis, ac laberetur, niſi prius conſuluiſſet, ac propitiaſſet Deum, cujus ductu, atque conſilio gubernaretur. Illud deinde chriſtianae prudentiae munus eſſe intelligens, ut primo ſe ipſum, tum alios ordinaret, atque componeret, certas ſibi rerum agendarum regulas conſtituerat, quas, ut ad vitae uſum traduceret, atque ad manus haberet, ſcripto conſignaverat. Inter ejus adverſaria hae quas adſcribo repertae ſunt.

„ I. Nihil auſpicandum, moliendumve, niſi „ praeconſulto ac propitiato accuratis precationibus Deo.

„ II. Sibi ipſi ſemper ſe diffidere oportere, „ nec quidquam ſine prudentum conſilio adoriri.

„ III. Exhibere in omnibus debere ſe ipſum „ formam Gregis, ut monet Apoſtolus, hoc eſt „ ita actiones ordinare omnes, ut quaevis exemplar eſſe ſubditis poſſit, ad quod ſe referant, „ atque componant.

„ IV. A ſemel incoepto numquam deſiſtere „ ob injectas difficultates, ſed illud aequabiliter perſequi, atque omni ope conniti, ut ad „ exitum perducatur.

„ V. In ſuſcepto negocio ut ut lente, ſem-

„ per tamen aliquid conandum, efficiendumque,
„ nam qui aſſidue progrediatur, eum denique
„ iter conficere, atque abſolvere; ſecus qui ali-
„ quando properet, aliquando ſubſiſtat.

„ VI. Dandum eſſe aliquid tempori, atque
„ cunctis in rebus captandam opportunitatem.

Et temporis ſane eam ſemper rationem habuit, ut ne particula quidem diei ulla vacua ſibi, atque otioſa diffflueret. Certas propterea, & ſtatas horas actionibus ſingulis deſignaverat, ſic ut omnibus rebus, ſive quae ad Dei cultum, ſive quae ad functionem muneris, ſive quae ad gubernationem animi, vel ad naturae neceſſitates pertinent, ſpatia ſua tribueret. Itaque fuit in rebus agendis accuratus, vigilans, & intentus, ut quamvis jugiter cum Deo verſaretur, nihil tamen quod ipſius eſſet muneris vel praeteriret, vel oſcitanter faceret, ſed ita partes omnes impleret, ut nullo umquam tempore, nec ullis in rebus illius praeſentia, diligentiaque deſideraretur.

Ut vero ſuam, ita & domeſticorum, ac familiarium vitam optimis legibus inſtituerat, religioſaeque diſciplinae formam in Epiſcopales aedes induxerat, ut in gregem inde univerſum promanarent exempla, & documenta virtutum.

Nec

Nec minoris conſilii, ac prudentiae fuit amplificato Clericorum Seminario, & excitatis a ſe nobilium epheborum Collegiis, eam conſtituere regiminis formam, qua magno Reipublicae, atque Eccleſiae bono ad omnium ſcientiarum ſtudia, ac verae pietatis cultum egregie inſtituerentur adoleſcentes; quae cum alio in loco commemorata a nobis ſint, neceſſe non eſt eadem hoc loco redintegrare, ac perſequi.

Ad Eccleſiae porro gubernationem quod attinet, negotia, & curas ita partiebatur, ac ſejungebat, ut graviſſimum paſtorale onus varias tributum in partes levius redderetur. Et rei quidem familiaris adminiſtrationem probis, idoneiſque hominibus commendavit; ſpiritualis vero regiminis curas ita diſtinxit, ut graviores ſibi, atque praecipuas retineret, in reliquis vero eorum uteretur miniſterio, quos in ſolicitudinis ſuae partes adſciverat. In eorum autem delectu incredibilem prorſus diligentiam adhibuit, nec enim niſi viros pietate, literis, diſciplina, rerumque uſu probatiſſimos ſibi adjunxit, quorum opera, & conſilio uteretur. Res fere omnes ad Eccleſiae regimen, utilitatemque ſpectantes in Congregationibus, ac coetibus ab ipſo inſtitutis proponebantur, reque in omnes partes diligenter

ter verſata, quid potius, meliuſque foret ad eligendum ſtatuebatur. Singulorum judicia, ac ſuffragia diligenter excipiebat, & quamvis eo polleret judicio, ut per ſe omnia expendere, ac deliberare poſſet, in ſententia tamen ſua haud pertinax erat, ſed in alienam facile ibat contra id, quod menti primum ſibi inſediſſet, ſi ex rationum momentis ea viderentur meliora, quae ab aliis in medium afferebantur. Animo ſcilicet a praejudiciis, & perturbationibus vacuo ad conſultationem accedens, in id unum intendebat, quod rectum, quod e publica utilitate, quod Deo gratiſſimum fore exiſtimaret.

In ſententia dicenda libertatem amabat cum aliorum, tum ſuam, eratque in omni ſermone, factoque apertus, & candidus, nihil eorum fere diſſimulans, quae ſibi non probarentur. Lingua, oculis, vultu, tota demum agendi ratione ſincerae, ingenuaeque mentis indolem praeferebat. In quo genere cum multa afferri poſſent exempla, hoc unum commemorabimus, quod dum Romae in Cardinalium coetu de reformandis chriſtianae Reipublicae moribus ageretur, ac quiſque eam, quae ſibi in mentem veniſſet, ejus rei conficiendae rationem in medium afferret, ubi ſententiam rogatus Gregorius fuit, ſenato-

natoria quadam libertate ita reſpondit: „ Reformet unuſquiſque noſtrum ſe ipſum, tum „ expedita, ac facilis erit ad aliorum reformationem via „ .

Hanc autem ſinceritatis laudem cum ſumma jungebat moderatione, ac prudentia, ut ſatis appareret, alteram detrimento non eſſe alteri, ſed ornamento, atque praeſidio. Sed quamquam veritatis cultor eſſet eximius, in aperiendis tamen animi ſui ſenſibus erat apprime cautus, tantaque verbis ejus prudentia inerat, ac circumſpectio, ut numquam niſi conſulto, ac meditate loqui videretur, nihil proferens quod tempori, loco, ac perſonis accommodatum non eſſet, modum denique in omnibus tenens atque decorum.

Suſpicioſi non erat ingenii, nec tamen facile omnibus, neque contra, nulli credebat. Externa rerum hominumque ſpecie, vulgique rumoribus haud temere movebatur, ſed ſuis ſingula momentis aeſtimabat, omni praejudicio remoto, ut non facile ei quiſpiam imponere poſſet. Quare cum Romae, Innocentio XI. Summo Pontifice, veterator ille, ac tortuoſi ingenii Michael de Molinos ſimulata modeſtiae, ac pietatis ſpecie doctrinae, ac ſanctitatis famam aucupare-

paretur, ac plurimos ſubdole, doloſeque circumventos, erroribus involviſſet ſuis, fucum facere Barbadico non potuit. Cum enim in ejus familiaritatem, atque conſuetudinem omni arte, & verſutia ſe inſinuare ſtuderet, qua erat Cardinalis in diſcernendis hominibus ſagacitate, latentem ſub ovina pelle inſidioſum lupum agnovit, ſeque adire tentantem conſtantiſſime repulit, nec ad colloquendum vel ſemel admiſit.

Quamdiu Romae verſatus eſt, tantam de ejus prudentia opinionem ceperant Summi Pontifices, Innocentius in primis XI. tum XII., ut de graviſſimis rebus ad eum referrent, ejuſque conſiliis in arduis, implicatiſque negotiis plurimum fiderent, ac niterentur. Nam quae diſcutienda ei proponebantur, momentis, atque rationibus accuratiſſime librabat ſuis, tum quid e chriſtianae Reipublicae uſu fore ſibi videretur, libere, ingenueque aperiebat. Quare probatiſſimae ejus fidei, integritatis, ac ſapientiae, reſponſorumque a liberali, & candido animo proficiſcentium maxima ab iis ratio habebatur.

In dirimendis quoque privatis litibus, atque diſſidiis dexteritate valuit, ac prudentia ſingulari. Inerat illi ad perſuadendum, emolliendamque duritiem quamlibet animorum vis mira, atque

atque efficacitas, qua vel repugnantes flecteret, & diſtractos conciliaret. Exſtant in illius ſchedis, & adverſariis nonnullorum ſyngraphae, qui longis, ac gravibus controverſiis defeſſi, ejus arbitrio, ac judicio rem totam permiſerunt. Eo enim ſequeſtre, & arbitro, quaſcumque concordiae leges facile recipiebant, dabant invicem manus, nec amplius in poſterum diſſidebant. Fuit denique prudentiae ipſius non ultima laus, quod Eccleſiae, ac dignitatis ſuae jurium aſſertor, ac propugnator aſſiduus ſic ea defenderit, ut in laicorum Magiſtratuum offenſionem nullam incurrerit; nec pacem modo, & concordiam cum poteſtate ſeculari ſervaverit, ſed gratiam quoque, & amicitiam inierit, ac retinuerit. Ea nimirum de Barbadici fide, integritate, & candore Reipublicae adminiſtrorum animis opinio inſederat, ut nihil ab eo, niſi quod aequum, rectumque eſſet, poſtulari, aut fieri poſſe arbitrarentur. Quare cum hominis ſapientiam, ac probitatem plurimi facerent, non eam modo, quae ſacrae poteſtati debetur, reverentiam, verum etiam praecipuam in eum benevolentiam omni officiorum genere teſtabantur.

CAPUT XII.

De Juſtitiae zelo.

QUae ad chriſtianae Juſtitiae ſive privata, ſive publica officia pertinent, cumulate adeo Barbadicus praeſtitit, ut ea non minus quam ceterarum virtutum laude clariſſimus fuerit. Ac ea quidem parte, qua ſuum cuique tribuendum juſtitia praecipit, debitum in primis Deo cum animi, tum corporis cultum, Eccleſiae legibus obedientiam, Superioribus obſequium, propinquis benevolentiam, domeſticis curam, ſubditis vigilantiam, amicis fidem, inimicis gratiam, miſeris opem, ſinceram denique omnibus dilectionem impendit. In Eccleſiae vero ſuae procuratione, quod ſpiritualia ſibi cum primis adminiſtranda, atque curanda intelligeret, quae ad forenſem juſtitiam pertinent, aliis delegarat. Aequitatis tamen ſtudioſiſſimus id potiſſimum curabat, ut miniſtros haberet non minus doctrinae, quam probitatis laude commendatiſſimos, quorum in judiciis fides, & integritas omni ſuſpicione vacaret. Tum Sancti Caroli exemplo externos plerumque homines, quorum opera in epiſcopali Curia uteretur, indigenis praetulit,

ne

ne ſcilicet vel propinquorum , civium , amicorumve conſuetudine, familiaritate, & ſtudio , vel potentium gratia, metuque, a recto, juſtoque abducerentur . Deinde ut ab omni quaeſtu, & avaritiae ſtudio abſtinerent, certa ipſis conſtituta mercede, nihil vel minimum quidem accipere eos dono permiſit. Muneribus enim perverti judicia cum intelligeret, illud Pſalmi xxv. 10. uſurpare ſolebat: *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Id quoque memorare conſueverat, quod de ſe ipſo affirmabat Carolus Borromaeus: „ Si munuſculum a quopiam acce„ piſſet, propenſiorem in ipſum ſentire ſibi videri „ voluntatis inclinationem „. Quare cum intemeratas a muneribus manus ſemper ipſe ſervaſſet, ab iis quoque alienos voluit juſtitiae adminiſtros, tum familiares , ac domeſticos omnes ſuos. Si quem eorum accepiſſe quidquam ab ullo deprehendiſſet, graviter objurgatum ab ſe dimittebat. Reſtitui aliquando donatoribus juſſit ultro ab ipſis conlata, multamque ab eo gratiam inibat is, qui oblatum ſibi donum continuo rejeciſſet. Qua diſciplina id eſt conſecutus , ut jam nemo illius miniſtros, familiareſve tentare donis auderet , ſuamque propterea, Curiae , familiaeque exiſtimationem, & famam conſtanter tueretur.

Quo autem judicia non integerrima ſolum, ſed expedita eſſent, Curiae adminiſtros identidem convocabat, ut cauſarum, negotiorumve ſeriem ſibi diligenter referrent. Si quid negligenter, aut remiſſe actum intelligeret, ſolicite providebat, eorumque operam, atque ſolertiam quaſi admotis ſtimulis concitabat. Pauperum cauſas ad ſe vel maxime pertinere ratus, ſuo potiſſimum expendebat judicio, ac patrocinio tuebatur. Omnibus diei horis, ac pene momentis facilem patere illis ad ſe aditum voluit, ac nulla taedii ſignificatione eorum querelas, atque rationes, quibus niterentur, audiebat, ac ſi minus re, amantiſſimis ſaltem verbis recreatos, erectoſque dimittebat.

Delictorum poenas, ſi judicio res ageretur, ne jura diſſolverentur, ac diſciplina enervaretur, non omnino remittendas putabat, ſed dum illas decerneret, vim magis afferre lenitati ſuae, quam alienae contumaciae videbatur. A multandis pecunia ſontibus plerumque abſtinebat; at ſi quando id fieri omnino oporteret, eam ipſe multam aut templis, aut pauperibus attribuebat. Qua erat lenitate, & clementia, mitioribus, ac fere ſalutaribus poenis graviores temperare, & commutare ſolebat. Et ſacerdotes quidem, prae-

praeſertim, qui animarum curae praeeſſent, non aperta animadverſione, ſed ſpiritali, privatoque in Seminarii aedes ad certos dies ſeceſſu, ne quid de eorum crimine populo ſuboleret, punire, atque emendare malebat. Aliquando ab ea, in qua deliquerant, ad aliam transferebat Eccleſiam, quo ſublata peccandi occaſione, nec imminuta eorum fama, atque exiſtimatione, reſipiſcerent, atque ad bonam mentem reverterentur. Ita fiebat, ut juſtitiae zelum cum lenitate temperans, neque in delictis conniveret, neque ad vivum vulnera reſecaret, quo prudenti remedio, atque temperamento tamquam peritiſſimus animarum medicus complures in gravia prolapſos flagitia ad ſanitatem, & diſciplinae cultum revocavit.

Jam vero in ea juſtitiae parte, quam diſtributivam appellant, vix quidquam incumbere Epiſcopo gravius exiſtimabat, quam Eccleſiae beneficiorum diſpenſationem, ac miniſtrorum inſtitutionem. Tanti in primis Parochorum delectum faciebat, quanti commiſſam ſibi a Deo Eccleſiam, animarumque pretium de manu ſua a Paſtorum Principe exquirendum. Itaque etſi neminem, niſi idoneum, integriſque ornatum moribus in Clerum admitteret, quem praeterea opti-

optimis ſtudiis, ac ſeveriore diſciplina inſtituendum curabat; tamen ex eo ipſo genere, nonniſi probatiſſimum quemque animarum regimini praeficiebat. Nulla apud eum perſonarum acceptio: non favore, non gratia, non humana ulla auctoritate, aut ratione ab ea mente dimovebatur: Inſtituti retinentiſſimus ſui, nec aliena admiſit umquam officia, neque ſua apud alium Epiſcopum interpoſuit, quo libera omnino in deligendis ſacrorum miniſtris eſſet collatori poteſtas. Illud Bernardi monitum: „ Pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus „ animo ejus infixum adeo haerebat, ut qui aliena commendatione ad ſacerdotia adniteretur, hoc ipſo repulſam ab eo ferret, atque haberetur indignus. Quod ita vulgo compertum omnibus erat, ut cum commendatitiis ad eum jam nemo adiret epiſtolis, quod eam rem ſibi quiſque impedimento fore magis, quam ſubſidio intelligebat, idque unum ſibi reliquum eſſe ſtatuebat, ut apud aequiſſimum meritorum aeſtimatorem, ac Judicem aditum ſibi ad eccleſiaſtica munera vitae integritate, doctrina, ac virtute muniret.

CA-

CAPUT XIII.

De animi conſtantia, & fortitudine.

JUſtitiae zelum, ceteraſque Barbadici virtutes ea ſuſtentabat animi firmitas, atque conſtantia, qua praeditum, animatumque eſſe oportet Epiſcopum, ut Eccleſiae leges cuſtodiat, jura defendat, diſciplinam promoveat, licentiam coerceat, Clerum, Populumque in officio contineat. Ejus praeſidio ita ſe ad labores aſſiduum, ad dura, & aſpera fortem, ad pericula impavidum, ad injurias patientem, ad illecebras voluptatum invictum praeſtitit, ut ejus animum nec mollia, & blanda diſſolverent, nec ulla adverſa dejicerent. Ac primum, quod eſt difficillimum, adverſus perturbationes animi, cupiditateſque omnes pravas ſumma vi diu eſt colluctatus, quo eas non ſedaret modo, ſed ſubigeret, ac veluti injecto fraeno coerceret. In tanta rerum gerendarum varietate homo in diverſa diſtractus, in id continenter vigilabat, ne ab iis veluti a domeſticis hoſtibus ex inſidiis caperetur. Quare natura cum eſſet ad iracundiam pronus, tam acri, ac diuturna contentione cum ea pugnavit, ut non domuerit modo, atque ſubegerit, ſed omnes radicum

dicum ejus fibras convulſerit , idque ſolum ex ea manſerit , quod erat neceſſarium ad exercitationem virtutis . Legem quoque membrorum legi mentis repugnantem, atque obſiſtentem jugi carnis afflictatione , vitaeque aſperitate ita compreſſit, ut non ſolum a noxiis , ſed a conceſſis quoque delectationibus ſe ſe facile contineret . Corpus denique ita in ſervitutem redegerat, ut jam adverſus ſpiritum rebellionem moliri non auderet, parſque animi ſuperior inferioris motus a ratione abhorrentes in officio contineret .

Internis defunctum pugnis exteriores luctae exceperunt; neque levia, nec pauca fuere, quae virilem ejus animum exercuerunt certamina. Dies prope nullus in utroque Epiſcopatu illuxit, qui non angoris ei aliquid, moleſtiae, atque acerbitatum attulerit. Ut primum ad diſciplinam reſtituendam , pravoſque mores reformandos adgreſſus eſt, velut in altum, aeſtuoſumque mare delatus , variis pulſari fluctibus coepit, ventiſque adverſis jactari: Graviſſimam in eum tempeſtatem excitarunt non laici modo, ſed ſacri quoque Ordinis homines, & qui Paſtoris optimi zelum, atque ſolicitudinem ſuſtentare in primis, ac tueri debuiſſent. Obtrectationes,

nes, maledicta, calumniae, vexationes adverſus illum non variae modo, ſed graves etiam, ac diuturnae fuerunt, ſic ut illud Pauli ad ſe referre non dubitaret: *Foris pugnae, intus timores.* 2. *Cor.* 7. *V.* 5.

Quamquam a litibus, & controverſiis vir placidi ingenii vehementer abhorreret, infixumque ſibi animo eſſet cum nullo de re ſua judicio contendere; ad vindicanda tamen jamdiu perturbata Epiſcopalia jura, cauſam dicere, & ſui juris argumenta commonſtrare coactus eſt. Si de privato dumtaxat, quod ad ſe pertineret, negotio actum eſſet, cauſa cadere, ac de jure ſuo voluntarie decedere maluiſſet, quam forenſibus tricis implicari, atque animum a divinis rebus abſtrahere: Sed cum perſpiceret de auctoritate, ac jurisdictione agi, quae res ad ſucceſſores quoque ſuos pertineret, decrevit omnia potius diſpendia, atque incommoda obire, quam Eccleſiae, atque Epiſcopatus jura deſerere. Ita tamen cum acerrimis, obfirmatiſque adverſariis agendum putavit, ut omnem ineundae concordiae viam quaereret, & ipſe primum offerret, ſi privato poſſet res officio componi: verum recuſantibus illis, coercendos demum judicio, ac perſequi jus ſuum vel invitus exiſtimavit. Cau-

ſae interea bonitate, ac divina ope confiſus graviſſimas vexationes forti animo, ſedato, & tranquillo ferebat; interque ſe, ac perſonam, quam gerebat, diſtinguens, non ad Gregorium, ſed ad Epiſcopum ea pertinere dicebat; Cumque tantis conflictaretur incommodis, nihil eorum praetermittebat, quae ad ordinandam, componendamque Eccleſiam ſuam pertinerent.

In obeunda cum primis, atque luſtranda Dioeceſi, locisque adeundis magis abditis, vel inacceſſis nullo viarum incommodo, nulla tempeſtatis, imbrium, torrentium; aeſtus, aut frigoris, inediae, ac laborum vi deterritus umquam fuit, aut retardatus. Ubi de gregis ſalute, ac paſtorali cura ageretur, non intuebatur moleſtias, contemnebat difficultates, pericula, ac detrimenta nulla exhorrebat. Addebat hos animos firmiter concepta divinae opis fiducia, quam praeſentiſſimam ſibi in omni fere eventu ſentiebat; Huic uni propterea innixus, erecto, fortique animo ardua quaeque, ac difficillima adoriebatur, ac de optimo rerum exitu tunc melius ſperabat, cum attenuata maxime ſpes humano judicio videretur. Ea cogitatione, eoque praeſidio inter duros rerum anfractus, inter quotidianas moleſtias, acerbitates, & curas mirifice recreatus ad

vim

vim animi proferendam, ac ſuſtentandam accendebatur, eamdemque in proſperis, eamdem in adverſis praeferebat oris tranquillitatem.

Hanc animi celſitudinem miratus aliquando Magnus Etruriae Dux Coſimus III. hominem rogavit, quì fieret, ut in ſummas conjectus anguſtias, dum coeptis plerumque ſuis graviſſima objicerentur incommoda, atque impedimenta; non tamen animum deſponderet, ſeſeque dejiceret, ſed ne commoveretur quidem? Cui Cardinalis, primum quaerere reſpondit ſe, an res ad incrementum divinae gloriae, publicamque utilitatem conduceret, tum omnia in id ſtudia, ac diligentiam conferre: Quod ſi ob injectas difficultates ad exitum perduci non poſſe intelligeret, tum ſe indignum fateri, qui Deo hanc gloriam afferret: Utcumque demum res cederet, imperturbatam ſervare mentem, animumque ad alia pro Dei gloria capeſſenda comparatum. Ita nimirum divinae voluntati ſe totum commiſerat, ut quo illa duceret, alacriter ſequeretur, nec aliud vellet ipſe quam quòd Deo luberet.

In repentinis caſibus, atque in ipſo vitae diſcrimine trepidantibus aliis ſolus ipſe timoris expers videbatur, atque ad erigendos dejectos

animos plurimum voce , & exemplo valebat. Multis rem expertis, ut malis ne cederent, neve periculis exanimarentur, ſatis fuit eum habere ducem, atque hortatorem, cujus rei exempla ſuis locis antea narravimus; Sed & pericula, & mortem ipſam ultro oppetere non dubitabat, ſi gregis ſalus id poſtularet. Invaſerat finitimas Italiae Provincias epidemica lues, ac Patavio impendebat ejuſdem calamitatis periculum. Id ſedulo reputans amantiſſimus Paſtòr Caroli Borromaei charitatem in omnem mali impendentis eventum aemulari conſtituit. Itaque adjuncto ſibi delectorum Sacerdotum manipulo ita ſe comparavit, ut ſi civitatem morbus invaderet, curae inſiſteret animorum, corporumque gregis, eique juvando operam, ac vitam quoque ſuam impenderet. Amicis porro, ac familiaribus eum a propoſito avocare nitentibus, cum alias ob cauſas, tum quod miniſtrorum inopia, ut jam Mediolanenſis ſub Carolo, tunc Patavina non laboraret Eccleſia, reponebat Gregorius, boni Paſtoris non eſſe gravi in diſcrimine gregis curam, atque cuſtodiam in alios transferre: Propoſitum ſibi ad imitandum divini Paſtoris exemplum, qui uſque adeo oves ſuas dilexit, ut pro earum ſalute mortem obire non du-

dubitarit. Avertit divina clementia, quod metuebatur, malum, ſed quamquam Barbadico defuerit extremi periculi ſubeundi occaſio, voluntas certe non defuit.

CAPUT XIV.

De vitae aſperitate, & caſtimonia.

PAr conſtantiae, ac fortitudini temperantiae laus fuit, qua corpus in ſervitutem redigere ſtuduit, ut extenuatis hoſtis externi viribus facilius interiorem ſubigeret, & domita, ac debellata caro jam nihil adverſus ſpiritum concupiſcere auderet. Nemo certe eorum, qui voluptati, & corpori ſerviunt, tanto illecebras omnes conſectatur ſtudio, quanto eas defugiebat Gregorius, quantoque ſenſuum caſtigationes complectebatur ardore. Ad eam, quam ſaepe commemoravimus, laborum tolerantiam, animi anxietates, & curas aſperrimam addidit quotidianae vitae rationem, quam mitigata numquam ſeveritate ad mortem uſque retinuit. Cibi, & potus abſtinentiſſimus fuit; nam ſemel tantum reficiebatur in die in communi triclinio coenans cum domeſticis ſuis. Sub meridiem prandentibus

bus aliis, paucis exſiccatae uvae acinis, tenuique panis fruſtulo vires corporis inſtaurabat, ſeu verius naturae neceſſitatem fallebat: hujus porro abſtinentiae eam obtendere rationem, cauſamque ſolebat, ut liberiorem ad pomeridiana negotia mentem afferret, ac paſtoralibus curis vacare poſſet impenſius. Quotidianus ad ejus victum ſumtus quindecim non excedebat aſſes: raro carnes, viliores interdum piſces, olera identidem, ac legumina edebat. Dum iter ageret, unum ei ovum pro coena erat; pomo, ac fruſtulo panis diei reliquum tranſigebat. Nullum paullo exquiſitioris ferculi, aut condimenti genus umquam indixit, communi cibo, eoque vulgari contentus. Nihil inter edendum conquerebatur, etſi famulorum inſcitia, vel oſcitantia male cocta, conditaque pulmenta apponerentur, & vinum aliquando aceſcens praeberetur. Cinerem perſaepe, clam omnibus, cibo ingerebat, guſtumque ex abſtinentia jam fere habebat obtuſum.

Sacris Adventus, & Quadrageſimae diebus, quamquam jam gravis aetate, ac laboribus fractus, rigidiore corpus extenuebat jejunio, atque a piſcibus quoque abſtinebat. Pridie vero feſtorum Deiparae Virginis, aliorumque pervigiliis

giliis Sanctorum ſicco pane, dilutoque vino jejunium deffiniebat. Si quando menſae lautius inſtructae conviva adhibitus intereſſe cogeretur, ita ſe cohibebat, ut, quod de Nepotiano ſcribit Hieronymus *Epiſt.* 3. „ Et ſuperſtitionem „ fugeret, & continentiam ſervaret„; Nam pane vix deguſtato, diuque verſatis, ac tantummodo libatis dapibus, ne abſtinentiam ceteri animadverterent, a menſa fere jejunus diſcedebat. Nę hauſtum quidem frigidae arentibus faucibus concedere extra menſam, vel in magnis caloribus ſolebat.

Somnus ei ſemper breviſſimus fuit. Multas, priuſquam cubitum iret, horas orationi dabat, ac plerumque genibus nixus, quae conſuetudo prominentes, duroſque callos poplitibus obduxerat. Diu ante lucem ad orandum ſurgebat, ſaepe etiam totas noctes vigiliis, & precibus extrahebat, cumque feſſis membris ſomnus obreperet, vel ſcamno innixus, vel capite in genua acclinato modicam quietem raptim carpebat.

Mira omnino inerat ei frigoris, aeſtuſque patientia. Tum Bergomi, tum Patavii degens ſub caelo utique frigidiore, ſumma etiam hyeme ſaeviente, omnem hypocauſti uſum ſibi interdixit, nec chirothecas, aut villoſas manicas

ad

ad frigus arcendum, mitigandumve adhibuit, quo demum ita eſt conflictatus, ut manum utramque contractam habuerit. Ubi vel exiguus prunae batillus a familiaribus afferretur, rogarentque algentem ac trementem, ut lecti frigus vel leviter temperari permitteret, recuſabat omnino, dicebatque ſibi ſatis eſſe lucernae ignem, miſſumque inde calorem cubiculo tepefaciendo ſufficere. In magnis aeſtivis caloribus vel ſub ipſum meridiem obeundae Dioeceſis cauſa itineri ſe committebat. In urbe vero, quo catecheſim in templis haberet, hora ipſa meridiana nullo praetento ad ſolis radios arcendos obice domo prodibat. Muſcas moleſtiſſimum animal a ſe abigere non ſolebat, cumque ejus manibus morbi, quem indicavimus, cauſa unguento perunctis confertim inſiderent, infenſos earum aculeos, diſſimulato doloris ſenſu, patientiſſime tolerabat.

Cubiculo habitabat pauperrime inſtructo, ut coenobitae magis cella, quam Epiſcopi, & Cardinalis ſedes videretur. Nudi parietes, paucisve ornati Sanctorum imaginibus: anguſtum, durumque cubile, rudi culcitra, & cannabinis linteis ſtratum: brevis ad ſcribendum abacus, ſtraminea ſedes, ſcabellum ad genua flectenda, & librorum pluteus: Haec univerſa Cardinalis

dinalis ſupellex, praeterea nihil. At neque in veſtibus mollior, ſibique indulgentior fuit. Interioribus obſoletis, attritis, ſuiſque plerumque manibus reconcinnatis, ac ſartis delectabatur. Sericas numquam, novas perraro admiſit, & Cardinalitias, quas primum induit, ad mortem uſque retinuit. Domi quoque S. Caroli exemplo ad muneris, perſonaeque dignitatem Epiſcopali lineo, ac ſuperhumerali tectus incedebat.

A voluptatibus ita abhorruit, ac ſe continuit, ut ne honeſtis quidem ad animi levamentum uteretur. Quidquid temporis curis vacuum, ac laboribus eſſet, id omne aut lectioni dabat, ac ſtudio, aut religioſorum hominum conſuetudini, deque vita ſpirituali collocutionibus. Si rus aliquando concederet, non id recreandi ſe cauſa, ſed ſecedendi, ac Deo vacandi faciebat; Nam ibi ne domo quidem prodibat, ſed mentem colligens externis curis diſtractam, in caeleſtium rerum commentationem ſe totum conferebat. Nullo oculos ſpectaculo, objectiſque rerum pulcherrimarum illecebris, nulla rerum novarum aures notitia oblectabat, cumque muſicen ab adoleſcentia coluiſſet, ſeque in eam natura propenſum ſentiret, poſtea neglexit omnino, ac, ne ullam ex ipſa caperet oblectationem, a ſacris quoque modulationibus, & cantilenis abſtinebat.

Nec delicias tantum ſibi interdixit, ac voluptates, ſed inflictis ultro poenis, & cruciamentis duriſſime corpus exercebat. Crebris intempeſta nocte flagellationibus terga caedebat; ſetoſo pectus, & ſcapulas contegebat cilicio; ferrea acutis hamulis catena lumbis adſtricta ita ſe quotidie torquebat, ut ex doloris ſenſu animi deliquio interdum laboraret, cujus rei cauſa demum a familiaribus comperta, medicorum juſſu ab eo cruciatu abſtinere compulſus eſt. Et quamquam dum viveret, quam poſſet, diligentiſſime celaret haec omnibus, detecta eſt tamen in defuncti corpore, dum curaretur, ejus vitae aſperitas, veſtigiis in eo apparentibus flagellorum, inſtrumentorumque, quibus ſe macerare ſolebat; tum ovi magnitudinem referente in mamilla contuſione, quae ſaxo percuſſum pectus indicabat.

Cum morbo aliquo corriperetur, principio diſſimulabat, ac nihil de quotidiana vitae, laborumque ratione remittebat. Plerumque nonniſi tertia accedente febri lecto decumbebat, ubi ad multas quoque horas, nequidquam reclamantibus medicis, ac familiaribus, negotiis veluti ſanus vacabat. Jam ſi quadrageſimale jejunium febri laborantem offendiſſet, ne Eccle-

ſiae

ſiae ſibi legem relaxaret, primis diebus ſolo juſculo hordeaceo ſe ſuſtentabat. Non tamen ſe medicorum praeſcripto difficilem praebebat, dicto audiens, ſi carnibus uti juberent; vix autem depulſa febri, ad inſtitutum redibat. Nihil aeger ferebat gravius, aut moleſtius, quam ſe diligenter, ac molliter curari: Contra vero numquam aut morbi acerbitatem, aut medentium, vel miniſtrantium negligentiam querebatur; quin & beneficii cujuſdam loco habere ſe morbum dicebat, nam quo tempore lecto jaceret, feriari ſibi quodammodo, atque a curis vacare omnibus, ſibique uni indulgere poſſe videbatur.

Ea porro vitae aſperitate, tantoque ſubigendi corporis ſtudio id eſt aſſecutus, ut illud animo praeſtaret innoxium, ac nullam fere ſentiret effraenatae carnis moleſtiam, ac rebellionem. Nihilo tamen minus ad cuſtodiendam, tuendamque mentis, & corporis integritatem non caſtior erat, quam cautior, atque in ſenſus omnes perpetuo vigil. Foeminarum aſpectum, nedum colloquia, & conſortia omnino vitabat; quod ſi pro munere ſuo audire aliquam cogeretur, non ſine teſtibus eam admiſſam, quam pauciſſimis expediebat. Vel ipſum horrebat impudicitiae nomen, ac ne proprio rei obſcoenaę

vocabulo os caſtiſſimum inquinaret, verborum circuitu ejus generis peccata exprimebat. Pudoris, ac verecundiae tenax adeo fuit, ut ſuum ipſe corpus aſpicere non auderet, ejuſque intima veſtiendi, exuendique cauſa familiarium opera, & manu quam fieri minime poſſet uteretur. Tantus erat pudicitiae amor, ut quam colebat ipſe diligentiſſime, eamdem inſerere in ceteris vehementer optaret. Hanc a domeſticis, & familiaribus ita exigebat, ut nihil laſcivum, ac petulans in eorum dictis, factiſve toleraret. Si quis eo in genere laberetur, domo, & familia ſtatim excedere jubebatur. Ab univerſa vero dioeceſi quo impudicitiae occaſiones exterminaret, atque convelleret, ſeveriſſima in concubinarios edicta tulit, choreas, profanos amores, virorumque cum foeminis conſortia omni zelo, & contentione ſemper eſt inſectatus: utrumque ſexum in templis loco disjunxit, foeminas vero immodeſte comptas a ſynaxi prohibuit, atque ab altari rejecit. Ad id vitium profligandum mentis, animique vim omnem exeruit, quo caſtos in clerum, populumque mores induceret, ac propagaret. Virginitatis florem integrum, illibatumque ad mortem uſque ſervaſſe haud temere creditum, ac memoriae proditum eſt; Nam rei fidem minime dubiam

ab

ab illius obitu reddidere, qui ſanctiſſimi Cardinalis conſcientiam dum viveret moderati ſunt, ejuſque intimos omnes animi receſſus ac latebras nudas, & apertas ſibi habuere.

CAPUT XV.

De animi modeſtia, ac demiſsione.

EArum, quas hactenus perſecuti ſumus, Barbadici virtutum magni veluti aedificii baſis, ac fundamentum chriſtiana humilitas fuit, actionum, cogitationumque ejus omnium comes, moderatrix, & cuſtos. Altas adeo in ejus animo radices egerat ea virtus, ut non modo ſe nihili prorſus haberet, ſed, quae ſumma chriſtianae humilitatis laus, atque perfectio ab interioris vitae magiſtris haberi ſolet, contemni ſe quoque, deſpicique ab omnibus vehementer optaret. Ac de ornamentis quidem, ſeu bonis extra ſe poſitis hanc alte opinionem imbiberat, ſibi ad ſempiterna, atque immortalia bona condito nihil cogitandum minus, quam de rerum humanarum magnitudine, atque ſplendore. Opes propterea, dignitates, honores, ac titulos non modo ſpernebat ut vanitates, & inſanias falſas, ſed

ſed horrebat etiam, ac defugiebat veluti ſempiternae impedimenta ſalutis. Ab iis tamen quam qui maxime averſum honores ultro ſunt inſequuti, atque invitum, & repugnantem e privatae vitae latebris in publicam Eccleſiae lucem eduxerunt. Sed quando divino conſilio eo adductum ſe vidit, ut paſtorale onus ſubire cogeretur, magis trepidavit de merito, quam placeret ſibi de honore. Quam Deo redditurus eſſet de grege rationem ſedulo reputans, ea torquebatur identidem cogitatione, ſe in magno verſari aeternae damnationis periculo, vel ob ea dumtaxat, quae in paſtorali cura negligenter omitteret. Et quamquam irreprehenſibilis vitae innocentia, & ſanctitate, optimique Paſtoris vigilantia non exemplo tantum omnibus eſſet, ſed etiam admirationi, ſibi tamen uni, quae erat hominis humilitas, veluti iners, ineptuſque numquam ſatisfaciebat. Inter hos animi motus abdicandi ſe Epiſcopatu non ſemel conſilium cepit, quo vitae ſuae rationes diligentius componeret, animumque ab omni exteriore cura ſolutum facilius ad ſola ſempiterna traduceret. Ab ea tamen deliberatione gravium deductus auctoritate virorum e ſtatione ſua non deceſſit, ſed Dei voluntati obſequutus Epiſcopalem digni-

dignitatem in ſuae aliorumque ſalutis inſtrumentum convertit.

Romana vero purpura decoratus, & auctus dolere, ac conqueri immerenti, ineptoque, ut ſibi videbatur, delatam, ac tolerare magis quam libenter ſuſtinere eminentis gradus ſplendorem. Ita enim ſtatuerat apud ſe; praeter externam, quam Cardinalatus ingerit oculis, ſpeciem, in ſe nihil eſſe virtutis, demtiſque ampliſſimae dignitatis inſigniis viliorem ſe ipſo reperiri neminem poſſe. Quapropter iis ſe comparare ſolebat Orphanotrophii Veneti pueris, qui purpurati per urbem prodeunt, & tamen omnibus fortunae bonis deſtituti ſunt. Summo itaque in loco poſitus infra aeſtimationem omnium ſe metiens, eadem a purpurae acceſſione, qua antea, de ſe demiſſione ſentiebat. Idem Cardinalis, qui Epiſcopus, eadem in moribus comitas, atque facilitas, in famulis, & comitatu modeſtia, in victu frugalitas, in veſtibus, in ſupellectili, in cultu, & apparatu univerſo cognata humilitati paupertas, & nihil omnino, quod non ſimplicitatem, ac vanitatum contemtum praeſeferret.

Sed quod rari admodum, inuſitatique exempli eſt, de ſe numquam abjectius ſenſit, quam cum

cum digniſſimus haberetur ab omnibus, ac praedicaretur, qui ſupremam in terris, ac Deo proximam ſedem impleret. Nam conſpirantibus in eum, diuque obfirmatis Cardinalium ſuffragiis, quo ſummum ei Pontificatum deferrent, conſtanter obſtitit, nec adduci umquam potuit, ut illorum de ſe judicio aſſentiretur. Sic quam hominum vulgus ſummam aeſtimare ſolet in terris gloriam, atque felicitatem, tanto a ſe Gregorius propulſare conatus eſt ſtudio, quanto ambitioſius nemo eam deperiret, aut perſequeretur. Ut vero ab ejus aſſequutionis periculo abductum, expeditumque ſe vidit, tantam conſequutus eſt laetitiam, tranquillitatem, & pacem, ut ex vehementiſſima tamquam fluctuatione, & ſalo emerſus, placidum, tutumque portum ſe denique nactum eſſe profiteretur.

Haec in ore omnium cum verſarentur, ejuſque virtutum fama late pervagaretur, ubique fere vulgoque ut vir ſanctiſſimus ſuſpiciebatur, eoque jam nomine celebrari, appellarique conſueverat. Sed contemtor ille ſui, ac reprehenſor aſſiduus id aegerrime ferens querebatur magno eos in errore verſari, qui hominem nihili, ineptum Epiſcopum, ac peccatorum maximum tanti facerent, ac praedicarent. Teſtabatur nec

ſine

ſine lacrymis ſe ab ea officii , vitaeque perfectione longiſſime abeſſe , quam & Epiſcopalis muneris ratio, & Cardinalatus dignitas poſtularet : In negligentiae quoque ſuae culpam rejiciebat quaecumque in Dioeceſi exiſterent ſcandala, vel admitterentur flagitia ; ingratiſſimum quippe hominum ſe eſſe affirmabat , qui innumeris a Deo cumulatus , ac fere obrutus beneficiis vicem ei nullam grati animi retuliſſet : Tum illud addebat, formidare ſe vehementer, ac tantum non deſperare de propria ſalute, quod non ſuis modo, ſed alienis etiam obſtrictus peccatis, de iis omnibus in jus vocandus a Deo eſſet, rationem pro ſingulis redditurus. Quare cum voce , tum literis interpellare omnes , rogareque ſolebat , ut vitae ſuae in melius converſionem a Deo peterent, ut bene tandem ſibi mori contingeret. Hi porro ſenſus , haec verba non ex uſitata quadam modeſtiae, ac religionis formula , ſed ex intimo cordis ſinu , alteque infixa animo pravitatis ſuae opinione prodibant; quod cum in vita ſaepe , tum etiam proxime ad mortem , quae vitae plerumque ſpeculum eſſe ſolet, apertius declaravit. Et quamquam conſcientia foret adeo religioſa, ac prope anxia, ut vel ipſam exhorreſceret peccati ſpeciem, ac vel minimam

in ſe labem diſcuteret, ac pervideret, orabat tamen omnes, atque obteſtabatur, ne taciti errata ſua diſſimularent, ac praeterirent. Monitores praeterea duos ſibi conſtituit, ut ſi quam officii, ac paſtoralis diligentiae omiſſionem, vel quidpiam aliud minus rectum, accuratumque in eo deprehenderent, libere objicerent, atque corrigerent; Qui vero ipſum vel de minimis emendandis admonuiſſent, eos diligebat impenſius: contra vero parum iis fidebat, qui omnia ejus dicta, vel facta adprobarent.

Hominum laudes, & plauſus quam quod maxime averſabatur, atque in partem ſeſe omnem vertebat, quo eas declinaret, atque defugeret. De ſe, rebuſque ſuis parce admodum, ac fere numquam loquebatur, ingeſtamque ab aliis earum commemorationem abrumpebat, vel alio de induſtria ſermonem detorquebat. Aedificiis a ſe magnifice excitatis, operibuſve praeclare inſtitutis nullum addi monumentum patiebatur, quo manaret ad poſteros beneficii, ac nominis ejus memoria. Quare cum gentilitium Familiae inſigne ſubjecto in ejus commendationem diſticho Seminarii muris appoſitum offendiſſet, amoveri protinus juſſit, atque in ejus locum ſubſtitui D.Caroli Borromaei loci tutelaris imaginem.

Qui-

Quibus honoris, ac dignitatis gradu praecellebat, iis ſe modeſtiſſime aequare non dubitabat; inferiores autem, & qui ſub ejus poteſtate eſſent, benigne adeo, blandeque accipere, ac compellare ſolebat, ut non praeeſſe, ac praecipere illis, ſed beneficium poſtulare, ac recipere videretur. Ne tamen virtutis modum excederet, facilitatem hanc, comitatemque gravitate quadam temperabat, nec committebat, ut chriſtianae abjectionis ſtudium quidquam de auctoritate detraheret, atque in contemtum cederet dignitatis.

Pauperum in primis, infirmorumque hominum delectabatur conſortio. Nihil illi jucundius, quam cum viliora aegrotantium obiret tuguria, ut jacentibus, & cum morte luctantibus ſuprema afferret religionis ſubſidia. Ruſticanae genti in vicis, & pagis, rudi, abjectaeque plebi chriſtianis praeceptis inſtituendae operam in templis cum daret aſſiduam, ad eorum ſe ingenium, & mores mirifice accommodabat. Pueris quoque, ac puellis chriſtianae fidei elementis tradendis incredibili alacritate, & patientia ad horas perſtabat. In id operis diligentiſſime intentum cum ſemel, iterumque miratus eſſet, qui tunc Patavii agebat, haereticus quidam haud in-

ſimae notae vir, tanta Cardinalis demiſſione, & charitate commotus, facere demum non potuit, quin ejuratis erroribus ad Romana ſacra tranſiret.

CAPUT XVI.

De Prophetiae dono, ac miraculorum gratia adhuc viventi Gregorio collatis.

AD egregias, quas hactenus commemoravimus, Barbadici virtutes acceſſere ſupernaturalia dona, quibus illuſtres ſanctitate viri clareſcere aliquando ſolent, eorumque propterea cultus, & fama latius propagari. In maximis porro donis, quo nomine veniunt quaecumque ad gratias pertinent gratis datas, nullum cenſeri luculentius debet, quam certa futurorum praenunciatio, rerumque mirabilium, ac ſupra naturae vires effectrix virtus, quo ſane utroque praeſtitiſſe Gregorium publicis monumentis, ac tabulis conſignatum eſt. Ac divino quidem numine afflatus non pauca ille aut multo poſt futura rerum eventa, aut occulta, atque ab omnium conſpectu remota non cognovit modo, ac praeſenſit, ſed clariſſime, palam, ac ſine ullo errore monſtravit. Mortem cum primis ſuam deſignata die, atque hora longe ante praeſcivit,

ac

ac ſine haeſitatione ulla praedixit, uti paulo infra narrabimus. Sed & aliorum quoque vitae exitum, ejuſque definitum tempus, & modum adeo clare cognoviſſe antea conſtat, ac ſi ſub oculis habuiſſet.

Treſti dum moraretur paſtoralis cauſa viſitationis, in Ateſtinum oppidum evocatus eſt, ut Helenae Momolae Sacerdotis Joſephi amitae jam omnium ſententia cum morte luctanti epiſcopalem benedictionem impertiret. Profectus ad oppidum aegrotantem inviſit, fuſiſque ſuper eam precationibus, negat illam eo tempore morituram, ac Joſephum ſecum abducit. Decima quinta jam inde fluxerat dies, poſtquam nihil de illa nunciatum erat; cum ex improviſo Cardinalis Joſephum ne opinantem quidem admonet, ut domum quam citiſſime revertatur, amitaeque adſit proxima nocte morituræ; Ac vaticinium quidem triſtis confirmavit eventus.

Graecus adoleſcens Patavii agens ſtudiorum cauſa ab Anglo quodam pecunia, & conſiliis adductus fuerat, ut in Angliam migrare ſtatueret operam ſtudiis daturus in Oxonienſi Collegio recens inſtituto. Ut incautum, ſeductumque juvenem a ſententia revocaret, ac religionis corrumpendae periculo eriperet, nihil non egit

Gre-

Gregorius , at fruſtra ; Nam poſt acceptam a Cardinali pecuniam Anglo reſtituendam , promiſſis non ſtetit. Tunc Cardinalis: „ Illudere, „ (inquit) nobis vult ille; at Deus non irridetur„ : Non multo poſt ab eodem Anglo, coorta inter eos rixa , Graecus adoleſcens enſe transfoſſus miſerrime occubuit, nec vanam fuiſſe Cardinalis praeſenſionem oſtendit.

Sacerdotem e Linorum familia numeris omnibus abſolutum, ac proſpera tunc utentem valetudine Fontis frigidi Sacerdotio cura animarum affecto dum Cardinalis praeficeret: „Doleo, „ (inquit) eum a me Paſtorem nunc deligi, qui „ brevi admodum tempore oves ſuas paſcet, ac „ reget „. Dicto fidem rei fecit eventus ; Nam primo poſt initam Paroeciam menſe diem ille ſuum clauſit ſupremum.

Aliis vero nonnullis in ſummo , certoque vitae diſcrimine conſtitutis longioris aevi ſpatium divinitus praenunciavit. Carolo Raſpi mercatori Patavino maligna febri, ac lethali eryſipelate in capite laboranti cum in extremis jam poſito, atque a Medicis conclamato benedictionem Gregorius impertiſſet: „ Age, inquit, gra- „ tias Deo , non enim ex hoc morbo morieris „ ; atque ille quidem brevi convaluit.

Fran-

Franciſco Simontagio, quo in Dioeceſi obeunda itineris comite, ac duce uſus aliquando fuerat Cardinalis, magnum praedixit imminere vitae periculum, quod tamen divina ope eſſet evaſurus. Non multo poſt cum Brentae flumen tranare vellet, equo delapſus, ejuſque ſtapia implicitis pedibus aquarum mole obrutus, profundo gurgite jam mergebatur, quum repente equus, & ipſe ex aquis undique ſuperantibus emerſit, atque in adverſam fluminis ripam, cunctis admirantibus, incolumis, ac ſoſpes evaſit.

Nec minus certa fuere, quae de occultis animorum ſenſibus, remotiſque loco, ac tempore rebus oracula fudit. Enixis Cardinalem urgebat precibus Seminarii Patavini Praefectus, ut Sacerdotem quemdam eccleſiaſtico beneficio donaret. At Gregorius, occultam in eo ad carnis vitia propenſionem divinitus cognoſcens, negavit. Non multo poſt in grave ejus generis crimen prolapſus ille, aequiſſimum Cardinalis judicium, ac minime falſam praeſenſionem ejuſdem probavit.

Dum Bergomi Epiſcopus eſſet, viro nobili diu inimicitiis variis implicato, atque a Sacramentis alieno peſſimam impendere mortem denunciavit, niſi quam primum ad concordiam,

&

& ſanitatem rediret. Paucis poſt diebus lethali vulnere accepto, Sacramentis omnibus deſtitutus, quam Cardinalis praedixerat, mortem obfirmatus ille peccator oppetiit.

Felicior alter vir nobilis fuit, quem gravium flagitiorum coeno per quindecim annos haerentem nullo emendandae vitae propoſito Cardinalis noverat. Gabrielem ab Utino Capuccinum concionatorem, qui mane in oppido Treſtenſi concionem habuerat, rogavit Gregorius, ut praeter morem ad veſperam ejuſdem diei iterum concionaretur, conſecuturus, ut ſibi quidem ſpes erat, magni peccatoris converſionem. Ingreſſus fortuito templum maximus ille peccator concionem excepit, qua vix audita, divino lumine colluſtratus, anteactae vitae noxas ſalutari confeſſione ſtatim expiavit, ac repente in novum hominem mutatus eſt.

Vaticinii quoque plenum fuit, quod quinquennio antequam e vivis excederet, Georgium Cardinalem Cornelium ſucceſſorem ſibi in Patavina Sede futurum non obſcure praenunciavit: Nec diſſimile illud fuit, quo poſt mortem Clementis X. Pont. Max. Romam contendens creandi novi Pontificis cauſa, nonnullis de ſucceſſore ſciſcitantibus, Benedictum Odeſchalcum ſine ulla

pror-

prorſus haeſitatione eligendum praedixit . Sed de praeſenſionibus, ac vaticiniis , quorum plura alia referri poſſent, fortaſſe ſatis . Jam quae Deus Gregorii prece , dum viveret , mirabilia egerit, exſequamur. Pauca quidem ejus ope patrata miracula in publicas tabulas relata ſunt, vel quod ea Gregorius pro ſuo humilitatis ſtudio latere voluerit , vel quod a teſtibus vitam, virtuteſque ejus cum primis enarrantibus, ea ut minus ad cauſae praeſidium neceſſaria , ſilentio preſſa ſint ; illuſtriora tamen ex ipſis nonnulla ſubjiciemus, quae eo deprecante eveniſſe compertum eſt.

Dum ad clathros Monaſterii S. Viti de nova Antiſtita eligenda ſacrarum virginum ſuffragia exploraret, mulier quaedam Lucia nomine nervorum contractione , ut omnibus notum erat, laborans Gregorio ſe ſtitit, petenſque eleemoſynam in genua procubuit. Ad ſe erigendam impotentem famulos advocavit, ut juvarent, at illorum nemo praeſto fuit . Tum Gregorius ipſe jacentem erigere coepit , ac manibus ſuſtentare ſuis . Rem plane admirandam ! Vix eam contigit , perinde ac ſi divina virtus ex eo fluxiſſet, Petri ad ſpecioſam templi portam renovavit exemplum; nam ſtatim extentis, ſolutiſque ner-

vis mulier convaluit, abjectiſque fulcris ſponte proceſſit, Deumque mirabilem in Gregorio praedicavit.

Patavii ſoror Corona Juſtina Converſa Monaſterii Ordinis S. Benedicti, tum Comitiſſa Eliſabeth Fraſia quartana febri jamdiu conflictabantur; ſed poſtulata, acceptaque a Gregorio benedictione, priſtinae, ac ſtabili ſanitati utraque extemplo reſtituta eſt.

Parocho S. Mariae de Nonio (cujus eſt nomen a teſtibus praetermiſſum) atque Apolloniae Zuffiae, cum ille gravi, haec diuturna per anni ſpatium febri laboraſſent, eadem Gregorii benedictione reddita ſalus integra repente fuit.

Romae dum ageret Cardinalis, mulier inſanabili carcinomatis morbo in pectore affecta praetereunti extra domum occurrens bonae ſpei, fiduciaeque plena veſtem ejus tetigit, & ſtatim vi morbi ſublata, omnique deleto mali veſtigio priſtinam valetudinem prorſus recuperavit.

Cum eſſet Patavii calamitoſum ſiccitate Coelum, Gregorius fuſis ad Deum precibus tantam repente, ut praenuntiaverat, imbrium copiam impetravit, ut ea exhilarati cives maximas Deo, & ſanctiſſimo Antiſtiti gratias agere non ceſſarent.

Sed illuſtriora ceteris duo ſunt, quae a juratis

ratis teſtibus in tabulas relata ſubjicimus. In Seminario Patavino tres fulmine icti jacebant adoleſcentes ſenſibus deſtituti, quorum unus Jacobus Brunatius nomine cum nulla ederet vitae ſigna interiiſſe eum jam omnibus perſuaſum erat. Acceſſit Gregorius, & ſigno crucis ſuper jacentes, exanimeſque adhibito, revixit, qui mortuus habebatur, aliique duo protinus convaluerunt.

Nec mirabile minus alterum fuit. Cum luſtrandae Dioecefis cauſa iter haberet, eique proxime praeirent familiares nonnulli, divulſum ex improviſo e proximo monte immane ſaxum jam praeceps in praetereuntes ruebat; Ut periculum animadvertit Gregorius, ſignum crucis adhibuit, maximoque prodigio factum eſt, ut ſaxea moles in aere diſciſſa tranſverſa abierit, longeque a ſubjectis tranſeuntibus, quos opprimi neceſſe erat, corruerit. Nemo certe unus fuit, qui ſtupore defixus divinam non praedicaverit in Gregorio virtutem, ac mutatam ejus ope naturae legem, qua verticali motu rupes caſura, viſa quodammodo fuerit ſuae gravitatis oblita.

CAPUT XVII.

Qua fuerit dum viveret exiſtimatione, & fama virtutum.

QUamquam aſſiduo humilitatis ſtudio in id Gregorius curam omnem conferret, ut abs ſe praeclare geſta occultaret, virtuteſque ſuas obrueret tenebris, emicans tamen ex ipſis ſplendor intuentium oculos ita rapiebat, ut invito quoque, ac repugnanti maximam conciliaret ſanctitatis exiſtimationem, & famam. Neque vero plebeii dumtaxat, ac vulgi homines, quorum eſt plerumque fallax de vera ſanctimonia, virtuteque judicium, ſed graves in primis omnium ordinum viri, atque aeſtimatores rerum aequiſſimi mirifice eum obſervabant, ac ſuſpiciebant, unaque erat omnium vox, Barbadicum Epiſcopum, & Cardinalem ſanctiſſimum vivam eſſe Caroli Borromaei imaginem, hujus vitae, actionumque tamquam colore, ac ſimilitudine prorſus expreſſam. Nec Bergomatum dumtaxat, ac Patavinorum, quorum ille Epiſcopus fuit, ſed Italorum omnium ea erat opinio, tum Helvetios, Germanos, Gallos, Batavos, exteroſque alios

alios ita pervaſerat, ut apud eas quoque gentes Gregorii nomen, & virtus effuſe celebrarentur. Quam magnificis vero ſenſibus inſtituto poſt ejus mortem de ipſius ſanctitate judicio ii ſubſcripſerint, qui adhuc viventem cognoverant, perſequi hujus loci non eſt. Tam multi ſane in actis publicis exhibentur ſive vitae, ſive doctrinae, ſive dignitatis laude conſpicui ejus ſanctimoniae teſtes, ut obruere numero legentem poſſint, ſi quis percenſere ſingulos velit.

Ac primo quidem tot ejus ſanctitatis non teſtes modo, ſed admiratores fuerunt, ac praecones, quotquot in familiari ejus conſuetudine ad annos complures verſati ſunt. Iis nimirum Gregorii vitam, & mores ex propinquo intuentibus, ac ſingula fere verba, actaque illius omnia accurate expendentibus nihil occurrebat, quod virtutem non redoleret eximiam, atque innocentiſſimae non praeferret vitae rationem; Habet enim hoc virtus ſumma, ut aſſuetudine, convictuque, tamquam attritu ſuavis odor, melius ſentiatur. Idipſum Bergomates, ac Patavini, quibus diu praefuit, cum facile, probeque ſenſiſſent, effuſis laudibus Epiſcopum ſuum chriſtianae pietatis columen, diſciplinae inſtauratorem, charitatis formam, pauperum patrem, veri,

veri, abſolutique Paſtoris imaginem, virtutum omnium exemplar praedicare ſolebant. Fuere quidem nonnulli, quorum vitia cum paſtorali zelo inſectaretur, aut epiſcopalia jura adverſus illos tueretur, eidem oppido infenſi omnia illius dicta, vel facta perverſe, ac livide ſugillantes, ſanctiſſimi Epiſcopi nomen, & famam inique proſcinderent, atque traducerent. Hos tamen falſae, ac praejudicatae opinionis tempus, & veritas ita coarguerunt, ut eos pravi judicii, atque erroris non puduerit modo, ſed etiam poenituerit ſui, verſaque in admirationem malignitate livoris, Barbadici innocentiae, & ſanctitatis teſtes haudquaquam ſuſpecti, & laudatores praecipui fuerint.

Jam vero externi quam praeclare, ac magnifice de eo ſentirent, ac loquerentur, paucis enarrare difficile eſt. Vel ipſi haeretici homines, qui Eccleſiaſticorum famae in primis, ac nomini infenſi eſſe ſolent, non ſolum in eo nihil, quod carpere, ac vellicare poſſent, invenerunt umquam, ſed multa quae mirarentur, ac praedicarent ſe aut vidiſſe, aut de ipſo audiiſſe palam teſtati ſunt, atque ii cum primis, qui mercaturae cauſa Patavium ventitabant. Eorum neſcio quis Genevenſis, cum de rebus divinis pro

con-

concione dicentem Cardinalem audiiſſet: „ San-
„ ctitati illius, inquit, haec ſane quam audivi-
„ mus reſpondet oratio „. Alter Anglus: „ Cu-
„ pio, inquit, tanti Cardinalis os, vultumque co-
„ gnoſcere, cujus eximiae ſanctitatis fama jam
„ loca omnia peragravit „. Batavi Bibliopolae cum de coemptis ab ipſo libris ad eum ſcriberent, illius ſe virtutum fama, ac ſplendore mirifice captos declarabant. Fuerunt quoque qui dicerent, tantam eſſe apud Helvetios Barbadici celebritatem, ut ſi de una, ac vera religione differentem aliquando audirent, facile omnes ad ſocietatem acceſſuri viderentur catholicorum.

Quod ſi tanta ſui exiſtimatione haereticorum animos Gregorii virtus compleverat, quid de catholicis putandum erit, atque dicendum? Magna ſane omnium, vel ſummorum Principum, Cardinalium, ac Romanorum Pontificum fuit in eo ſuſpiciendo, celebrandoque conſenſio. Coſimus III. Magnus Etruriae Dux, Raynaldus Eſtenſis primum S. R. E. Cardinalis, deinde Mutinenſium Dux, Guillelmus Neoburgenſis Palatinus Elector, hujus liberi, aliique Germaniae Principes ad ejus ſe amicitiam adjungere, eamque tueri omni officiorum genere curabant. Ac Coſimus quidem Mediceus, Princeps cum aliis nominibus,

bus, tum chriſtianae pietatis laude in primis clarus, magnis eum honoris, ac reverentiae ſignificationibus ſemper eſt proſequutus. Crebras ad eum literas manu ſua ſcriptas dare conſueverat, benevolentiae illas quidem, atque humanitatis plenas, ſed quae praeterea ſingularem quamdam erga ſanctiſſimum Cardinalem venerationem praeferrent; Nam orationis, conſilii, monitorumque ipſius demiſſe, ac ſuppliciter poſtulare ſolebat auxilia. Ab eo Romam profecturo, ut Florentiam ad ſe in hoſpitium diverteret, multis aliquando precibus impetravit; tum eum ut ſanctum alloqui, ejuſque res perinde, ac Sanctorum reliquias intueri, colere, exoſculari. Eo cum veniſſet Gregorius Anno 1689. accidit, ut illius crepidas in cubiculo, quo exceptus fuerat, ſervi oblivioſi relinquerent. Has Coſimus, ut Cardinalis Florentia exceſſit, repertas, religione quadam primum exoſculatus, tum holoſerico involutas per cubicularium concitato equo ad eum tranſmiſit, juſſitque, ut reddens diceret, Etruriae Ducem plane intelligere moleſtum Barbadico futurum, ſi novas emere deberet, quod inde egenis detrimenti fore arbitraretur. Is idem praeterea Princeps ſupremum militaris ordinis S. Stephani magiſtratum initurus Barbadicum e Ro-

Romanis Comitiis rediturum rogatum voluit, ut Florentiam tranſire ne gravaretur, ut auream Crucem, & cetera illius dignitatis inſignia benediceret, ſibique ſolemni ritu conferret.

Nec religioſiſſimus ille Princeps dumtaxat, ſed plerique alii omnium aetatum, atque ordinum Barbadici rerum reliquias expetere, cupideque arripere, quibuſcumque ipſe fuerat uſus, quaeque ille vel attigiſſet, & contrectaſſet, atque hujuſmodi res maximi facere, & cum religione diligentiſſime cuſtodire conſueverant. Itaque ſi per urbem incederet, turmatim eum obſidere; quacumque tranſiret, cupide ad eum accurrere, ut viderent, ut benedicerentur, ut ejus veſtes contingere poſſent, atque oſculari: Si ſolemni ritu ſacra faceret, pileolum ejuſdem rubrum ſubtrahere, ſi pranderet, quod ei panis ſupererat, ſi ſcriberet, epiſtolas, chartarumque ſegmenta, ſi hoſpitio reciperetur, ſtrati, quo cubaverat, linteamina capere, ac veluti ſacra habere, & certiſſima ad morbos remedia adhibere. Et erat cur tanti fierent, ſaepe enim hujuſmodi rerum contactum prodigia ſunt conſequuta. Nec defuere complures, qui adhuc viventis imagines vel coloribus pictas, vel aere inciſas

 ſtu-

Digitized by Google

ſtudioſiſſime quaererent, eodemque loco haberent, quo Beatorum effigies.

Quae autem fuerit S. R. E. Cardinalium mentibus alte infixa de Gregorii virtute perſuaſio, cum aliis multis, tum hoc uno conjici poteſt, quod de illo in ſummum Pontificem eligendo ſemel, iterumque magna fere omnium conſenſione cepta a pleriſque deliberatio fuit. Qui ejus ſanctitatem praecipua honoris ſignificatione coluerunt, memorantur in primis Colloredus, Nigronius, Acciajolus, M. A. Barbadicus, Urſinus, Colonitzius, Albanus, Pallavicinus, uterque Chiſius, Salazarius, Aguirre, Noriſius, Etraeus, aliique per id temporis ſacri Collegii praeſtantiores, ac ſplendidiſſima Eccleſiae lumina. Ex his Colloredus, Nigronius, Barbadicus, Acciajolus, graviſſimum de ſanctitate Gregorii jurejurando teſtimonium dixere. Neque praetereundum nobis eſt, quod Coſmas Bandinus Apoſtolici Proceſſus Veneti teſtis memoriae prodidit, Cardinalem Nigronium Roma neſcio quo profecturum ad Gregorium adiiſſe, eumque poſitis humi genibus, ut ſibi bene a Deo precaretur etiam, atque etiam obteſtatum eſſe: Cumque Gregorius, qua erat humilitate, id facere recuſaret: „ Abs te, inquit Nigronius, non diſce-

„ dam,

„ dam, niſi benedixeris mihi „. Id Urſinus etiam magnum illud Praedicatorum familiae, immo Eccleſiae univerſae decus, ac lumen, qui deinde, aſſumto Benedicti XIII. nomine, Pontifex Maximus creatus eſt, a Gregorio demiſſe, enixeque flagitavit; Cumque id ſe praeſtare nullo modo poſſe affirmaret Gregorius, quod in Palatio Apoſtolico tunc verſaretur: „ Id te ut facias, „ (Urſinus dixit) veluti privatus ſacerdos, ſi mi„ nus licet ut Cardinali, vehementer rogo.

Plurimi quoque facienda ſunt, quae ad Barbadici commendationem Romanorum Pontificum acceſſere judicia, ac teſtimonia. Atque Alexander quidem VII. adoleſcentem adhuc Gregorium, quod futuram hominis ſanctitatem ex praeclara ipſius indole jam tum praenoſceret, ac praeſentiret, paterna quadam benevolentia complexus eſt, qua deinceps mirifice aucta Romam arceſſitum ſummis cumulavit honoribus, & quam celerrime potuit in Cardinalium Collegium cooptavit. Alexandro Pontifici nihil in amore, benevolentia, atque exiſtimatione erga ipſum conceſſit Ven. Innocentius XI. cujus teſtimonium quale ſit facile aeſtimabit, qui eximiam tanti Pontificis ſanctitatem longe, lateque pervulgatam, atque Apoſtolicae Sedis judicio

Digitized by Google

brevi, ut ſperare licet, declarandam reputaverit. Is autem ſanctiſſimus Pontifex Gregorii prudentiam, probitatemque tanti faciebat, ut de graviſſimis Eccleſiae rebus ad eum referret, ejuſque ſententiae plerumque niteretur. Hujus rei cauſa, qui alios Epiſcopos ne longiorem in Urbe moram traherent, ad ſuas quamprimum Eccleſias reditum maturare jubebat, annis fere quatuor a Patavina Sede Gregorium abeſſe voluit, quod ejuſdem operam ſibi non modo utilem, ſed neceſſariam putaret. Id ei inter cetera negotia dedit, ut Aracaeliani Coenobii, & S. Ceciliae Parthenonis in Urbe ſtatum apoſtolica viſitatione cognoſceret, & quae emendatione indigerent, pro ſua prudentia, aequitateque corrigeret; Tum chriſtianae catecheſis habendae, uti Patavii conſtituerat, rationem, & methodum in Urbis quoque Eccleſias induceret. Paſtoralis vero ejuſdem regiminis formam uſque adeo probavit, ut a ſe deſignatos Epiſcopos Eccleſiae bene gerendae ſtudioſos, ac cupidos Patavium mitteret, quo purioris diſciplinae, atque ſapienter, ſanctiſſimeque inſtituendae Dioeceſis a Barbadico documenta, & exempla caperent, ac ſuas in Eccleſias utiliter transferrent. Innocentius demum XII. Praedeceſſorum ſuorum ſtudia

iis

iis erga Gregorium officiis eſt aemulatus, quae ſanctiſſimo Antiſtiti, & Cardinali eximio deferri maxima potuerunt.

Juvat hoc loco alios commemorare locupletiſſimos teſtes, qui ad haec confirmanda cum voce, tum ſcriptis niſi parem dignitatem, haud multo ſane minorem attulere fidem, atque auctoritatem. Fuere nonnulli, qui non ſolum res geſtas, ſed verba, ſententias, ac pleraque omnia, quae ad mores, diſciplinam, inſtitutaque Barbadici pertinerent, in commentarios referrent, fore ſperantes, ut ei ab Eccleſia aliquando decernerentur, quae beatis Coelitibus deferri ſolent, publici honoris, & cultus ſignificationes. Utinam vero, quemadmodum ejus nonnulla Paſtoralia documenta ſtudioſe collecta, ac pervulgata ad nos pervenerunt, ſic multa alia chriſtianae vitae monita, praecepta, ac conſilia, hortationes ad clerum, & populum, familiares ſermones, reſponſa, & colloquia ad juvandos homines, inſerendumque animis pietatis, virtutiſque ſtudium in lucem aliquando proferantur, quae nunc publicae utilitatis detrimento latent, atque oblivione, & tenebris obruta ſunt! Accedunt Pallavicini, Noriſii, atque Urſini Cardinalium monumentis literarum conſignata prae-

co-

conia. Horum primus in epiſtola ad Cl. V. Paulum Segneri Societatis Jeſu, inſtituta Carolum inter Borromaeum, & Gregorium Barbadicum comparatione, haec ſcribit: „ Brevem tuam, ut „ duos viſeres ſanctos Cardinales, quorum unus „ Mediolani (*S. Carolus Borromaeus*) mortuus „ quieſcit, alter (*Gregorius Barbadicus*) Bergomi vivit, peregrinationem probo. Singularis amor erga viventem meus in certam ſpem „ erigit id me a Deo ejus prece conſecuturum, „ ut ad ejus virtutum, qui etſi natu minor, „ meritis tamen major me longe antecellit, ſimilitudinem quamdam accedam „.

A Noriſio autem in Hiſtoria Pelagiana, ubi de S. Caeſareo Arelatenſi ſermonem inſtituit, Gregorius „ eruditione, & morum ſanctitate ſpectabilis „ praedicatur. Urſinus demum, qui deinde Eccleſiae praefuit univerſae, nativis coloribus Barbadicum pingens in Epiſtola ad Marcum Antonium Zolium Cremenſium Epiſcopum, ſic loquitur:

„ Quum chariſſimus, meique amantiſſimus „ ſanctus ille vir Gregorius Barbadicus in Comitiis creando Pontifici ter habitis Romae „ una mecum eſſet, in ultimis praeſertim, ac „ mediis, poteſtatemque mihi eo tantum tempore, quo coenabat (coenabat autem? coenare

„ nare ſe oſtendebat, immo vero longius pro-
„ ducebat jejunium) ad ejus cellam adeundi
„ faceret, familiariſſimeque mecum ageret, tan-
„ tam ex ejus ſermonibus capiebam animo ob-
„ lectationem, quantam verbis commemorare
„ vix poſſum. Me tunc cum Angelo, non au-
„ tem cum mortali homine verſari, agereque
„ putabam. Tanta humanitate, ac vi tanta,
„ quae ad mores pie, ſancteque inſtituendos,
„ atque epiſcopale regimen bene, ſapienter-
„ que obeundum pertinebant, mihi declarabat,
„ atque tradebat, ut ejus ſanctiſſimis verbis cu-
„ piditate quadam eam ineundi, quam mihi vi-
„ vendi, agendique viam commonſtrabat, in-
„ cenderer, atque inflammarer. Sed heu me
„ miſerum! Eximium adeo, atque excellen-
„ tem ſequutus ductorem non fui. Id ſingulare,
„ cum loqueretur, plane erat, ut cum nihil ja-
„ ctanter diceret, pene abs re loqui videretur „.
Laudatur quoque Gregorii virtus, & ſanctitas à Nanio, & Gratiano coaevis Hiſtoriae Venetae Scriptoribus, a Mabillonio in Muſaeo Italico, a Monfauconio in Diario Italico, a Criſpino Amerinorum Epiſcopo, ac plurimis aliis vel literis ad ipſum datis, vel libris eo vivente in lucem editis, quae percenſere ut minime neceſſarium, ita longum, & difficile ſit.

DE



Antonio Neſsi inv. del. *Aleſsio Giardoni ſculp. 1762*

DE VITA, AC REBUS GESTIS BEATI GREGORII BARBADICI S.R.E. CARDINALIS

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Gregorii obitus, funus, & ſepultura.

Cum inter aſſiduas paſtoralis officii curas, intermiſſo numquam animarum ſalutis ſtudio, duos & ſeptuaginta annos Gregorius expleſſet, propinquare eum ad vitæ metam non modo gravis affecta aetas, fractumque laboribus corpus, ſed conſueto major in agendo contentio, ut flamma ſub extinctionem vividior emicat, non obſcure in-

Digitized by Google

indicabant. Id eo colluſtratus lumine, quo futura alia multo ante praedixerat, Cardinalis ipſe praeſentiens aperte praenunciaverat. Nam inter cetera, Venetiis agens ejuſdem quo deceſſit anni menſe Maji perconctatus eſt a Gualterio Leto quid eſſet dicturus, ſi non multo poſt tempore vita functum Cardinalem Barbadicum audiiſſet; Letus vero cum id ne ſuſpicari ſe poſſe quidem tam cito futurum, neque de triſti adeo eventu cogitandum eſſe reſpondiſſet: Veni, inquit Gregorius, veni Patavium ad diem Antonio ſacrum, tum vera me praenunciaſſe cognoſces. Menſe Junio pro uſitata paſtorali ſolicitudine Patavio egreſſus Dioeceſim luſtrare coepit, atque aeſtate ſumma obire graviſſimos viſitationis labores. Loca varia cum percurriſſet, Patavium revertens ſolemnia ſacra in honorem beatae Helenae peregit, atque viii. idus Junii celebrem duxit Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſupplicationem. Etſi eſſet majorem in modum ejuſdem ſupplicationis cauſa defatigatus, eo tamen ipſo die, ac hora diei moleſtiore ab urbe profectus ad alia Provinciae loca viſitanda contendit. Mox vero cum ſolemnem S. Antonii diem ad idus Junii recurrentem celebrare quotannis Patavii conſueſſet, ad urbem pridie idus pervenit. Sup-

plicationi, quae die ipſa habetur, primiſque Veſperis intereſſe, poſtridie vero ad S. Antonii ſe conferre, ſacris ſolemniter operari, & cetera, quae in ea ſolemnitate Epiſcopi ſunt munera diligenter obire. Hac porro multa, & gravi extenuati jam corporis jactatione, crebriſque in Dioeceſim excurſionibus, quod maximi calores eſſent, ſub veſperas ejuſdem diei in febrim incidit, quam initio familiares, ac medici fere contemſerunt, quod ex fatigatione ortam quiete mitigari facile poſſe arbitrarentur. At Gregorius, quae vis morbi eſſet magis quam Medici ſentiens, brevique ſe migraturum praenoſcens, ſuis rebus conſulere, ſeque ad aeternitatis iter rite capeſſendum, quam diligentiſſime poſſet, comparare conſtituit. Jam quibus hoc tempore non corporis modo, ſed animi conflictaretur angoribus, comprehendi cogitatione vix poteſt. Ac de corporis quidem incommodis, vigiliis, atque doloribus, quae erat hominis virtus, atque conſtantia, parum ſolicitus, ne turbari quidem, aut conqueri viſus eſt. Sed animo reputanti imminentis ſibi divini judicii ſeveritatem tantus repente incuſſus eſt horror, ac tremor, ut in aeternae ſalutis amittendae diſcrimen prope adductus videretur; crevitque profecto

fecto in tantum excitata mali daemonis arte in ejus corde tempeſtas, ut identidem ſuſpiraret, manus attolleret, in caelum ſuſpiceret, ac lamentabili voce clamaret: *Quid erit, quid erit?* quae quidem dimotae vi morbi de ſtatu mentis verba eſſe nonnulli ſuſpicabantur, alii vero erigere dejectum animum, ſuſceptorumque pro Deo laborum recordatione, tum maxime bonitatis, clementiaeque divinae fiducia in ſpem meliorem traducere conabantur. Verum ab homine, qui paſtorale munus ſuis expendebat momentis, reddendamque ſibi Deo Judici de tot animabus rationem cogitabat, non aliud extorquebant, quam ſenſus formidinis plenos. Sed ecce compoſitis ex improviſo, ſedatiſque animi fluctibus redditam Cardinali tranquillitatem, ac hominem mirum in modum exhilarari, erigi, & confirmari. Nam in divinae miſericordiae, ac fidelitatis ſpem alta cogitatione defixus, veluti infuſa ſibi aeternae mercedis ſecuritate ea Pſalmi XXX. verba *In te Domine ſperavi &c.* quaſi exultans, atque triumphans ingeminavit. Magnam ſubinde ſibi cum humanae ſalutis inſidiatore diabolo luctam fuiſſe, ſed Dei ope, ac fiducia depulſa omni damnationis formidine evaſiſſe ſe teſtatus eſt; Ex quo non mentis delirium illud fuiſſe com-

pertum eſt, ſed Dei judicium, qui vel ſpectatiſſimae ſanctitatis viros oppugnari ſub vitae exitum, atque exerceri permittit, ut cum timore quiſque, ac tremore ſalutem operetur ſuam; ii vero in agone certantes ampliorem referant de hoſte devicto, ac debellato coronam.

Interim P. Doſitheus ab Angelo Carmelita excalceatus, quo animi moderatore utebatur Gregorius, jam initio morbi ab eo arceſſitus in cubiculum venit. Hunc ille peramanter exceptum, ut ſibi confitenti aures praebeat humiliter rogat, exomologeſim facit, riteque expiatus de divinis cum ipſo rebus colloquitur: Saepe deinde cum aliis Sacerdotibus uſque ad eum, quo deceſſit, diem Pſalmorum verſiculos magno pietatis ſenſu alternabat, eaque in primis verba *In te Domine ſperavi &c.* magna repetebat oris, animique hilaritate.

Jam vero novis accedentibus febribus augeri vim morbi, atque explorato arteriae motu Gregorium phlegmone inteſtinorum laborare, ac prope diem moriturum medici denunciaverunt. Nulla ergo interjecta mora vir ſanctus Chriſti Corpus ad aeternitatem viaticum religioſiſſime ſumſit, nec multo poſt ſacro exeuntium oleo inunctus eſt. Ac ea quidem celeritate conſul-

ſultum optime fuit; Nam omnibus vix expiatus myſteriis luctari cum morte coepit, animique ad extremam uſque horam egregie compos in Sacerdotum complexu exitum ei facilem precantium hora diei xi. ac dimidia placidiſſime expiravit xiv. kal. Julii Anno MDCXCVII. cum annos vii. Bergomenſem, tres vero ſupra xxx., menſem unum, dies viginti quatuor Patavinam rexiſſet Eccleſiam.

Ut primum in vulgus eum deceſſiſſe elatum eſt, quem pauci vix aegrotantem audierant, longeque aberant ab ejus mortis formidine, dici vix poteſt quantus civitatem univerſam primum ſtupor, deinde moeror inceſſerit. Ubique luctus ingens, & conſternatio quaedam virorum, mulierum omnis aetatis, & ordinis, inopum, ac miſerorum in primis comploratio, tum eorumdem ipſorum, qui male antea in ſanctiſſimum Cardinalem animati, parumque benevoli habebantur. Flere paſſim, ac miſere lamentari omnes, periiſſe ſibi Paſtorem optimum, Epiſcopum incomparabilem, pauperum patrem, miſerorum perfugium, parentem omnium amantiſſimum. Nemo ſcilicet unus erat in tanta civium frequentia, quem Antiſtes ſanctiſſimus aut rudem non inſtituiſſet, aut non reduxiſſet errantem,

non

Digitized by Google

non ſublevaſſet inopem, non recreaſſet afflictum, opera non juviſſet, aut conſilio, beneficio demum aliquo ſibi non adjunxiſſet. Itaque dejecti animo, vultuque triſtes non oppidani modo, ſed dioeceſani conferta multitudine ad aedes convolant Epiſcopales, incenſi cupiditate videndi, venerandique chariſſimi parentis faciem, quam amplius viſuri non eſſent. Sed integrabatur ipſo ejus conſpectu dolor, & major viſo cadavere luctus conſequebatur. Miſſi a Rectoribus urbis milites, qui aedium portas cuſtodirent, arcerentque populum, ne qui tumultus, perturbatioque oriretur. Curatum interea defuncti corpus, in quo veſtigia apparuere inſtrumentorum, quibus ſe torquere ſolebat, atque in pavimento majoris aulae ſubſtrato panno collocatur. Eo veluti ad templum concurſu facto, qui intrabant genua flectere, oſculari pedes, aut manus, ſe reſque ſuas illi magis, quam ipſum Deo commendare, quod inter beatos Caelites jam receptum putarent. Itaque nemo unus, quae pro vita functis ab Eccleſia indictae ſunt preces, neque uſitatum Pſalmum 129. recitabat, ac tanta erat adeuntium religio, pietas, ac ſilentium, ut non aula, ſed aedes ſacra is locus videretur.

Id quoque ſingulare fuit, quod confluentes,

ca

ac circumſtantes omnes cupidiſſime quidquid vel minimum ad defuncti uſum pertinuiſſet aut diripere, aut quocumque poſſent modo ſibi habere, ſin minus precariis coronulis, floribus, lineiſve contingere cadaver nitebantur, ut illud religionis, ac pietatis cauſa inter res chariores ſervarent. Fuere, qui goſſipium ejus ſanguine imbutum cum eximerentur corporis inteſtina, magni muneris loco accepére, alii, qui ex illius capite pileolum, alii, qui panniculum lineum, alii, qui calceos, multi, qui veſtium, linteorum, aliarumque ipſius rerum particulas abſtulere. Ceteri vel ipſas bombycinas ſtatuas, lugubris ornamenti cauſa, in aula poſitas diſciderunt, dilaceratarumque ſegmenta pro reliquiis habuere. Jam demum neceſſe fuit arcere turbam militum manu, ac piam prohibere vim populi, ne irrueret in cadaver; id enim a nonnullis tentatum jam fuerat.

Reſignatae deinde, lectaeque ſunt Teſtamenti tabulae jam pridem a Cardinali die v. Aprilis anni MDCLXXXIX. conſcriptae, quibus pontificales mitrae Cathedrali templo, epiſcopalis annulus fratris filio, reliqua omnia Patavino Seminario haeredi ex aſſe relinquebantur; Qua quidem poſtremae voluntatis ſuae ſignificatio-

tione, quantum a carne, & ſanguine abſtractus eſſet, & qua praecipue charitate Eccleſiae ſuae germina in ejus ſpem, & commodum ſuccreſcentia complecteretur, amantiſſimus Paſtor oſtendit. Praeſcripſerat iiſdem tabulis; ut ſine ulla funeris pompa ſex tantum cereis facibus ſtipatum cadaver deduceretur; quod cum Rectores urbis pro ſua erga defunctum fide faciendum omnino duxiſſent, obſtitere tamen pro ſua pietate cives univerſi, omnemque in ducendo funere pompam adhibendam contendere perſeverarunt. Igitur conſpiratione quadam animorum magna, exacto triduo, utriuſque Cleri, populique frequentia, atque incredibili cereorum vi circumlatum eſt corpus per urbem longo circuitu, ut cuique videndi poteſtas eſſet, multitudine ubique denſa lacrymis, ejulatuque funus ducente. Nobiles in primis viri, matronaeque declarandi luctus, ac moeroris cauſa pullas induerant veſtes, atratiſque pannis feneſtras, vias, compita obduci curarant. Appenſae locis frequentibus Cardinalis Imagines pictis velis eleganter circumductae, ardenteſque ante illas cerei conſpiciebantur. Ea die neque tabernae, officinaeque uſpiam apertae, neque jus dictum eſt. Nihil lugubrius umquam, aut magnificentius quacumque exequiae du-

ducerentur, plane ut doloris, pietatiſque triumphus videretur. Ubi ad templum maximum ventum eſt, ſacra funebria magna caeremonia celebrata ſunt. De Cardinalis vita ſuncti laudibus Italica oratione copioſe dixit Joſephus Muſocco Sacerdos Vicentinus, quam circumfuſus populus lacrymis, ac gemitibus interrumpebat identidem. In hunc itaque modum juſtis perſolutis de inferendo cadavere in ſepulchrum actum eſt, ſed haerentem in loco turbam militum vi ſubmoveri, ac templo detrudi neceſſe fuit. Tum cadaver in arca plumbea, cui alia cypreſſina ſuperinducta, incluſum eſt, poſita inter utramque aerea lamina, cui erat inſcriptum.

GREGORIUS S. R. E.
TITULI S. MARCI DE URBE
PRESB. CARD. BARBADICUS
EPISCOPUS PATAVINUS, COMESQUE SACCEN.
NATUS A. MDCXXV. MENSE SEPT. DIE XXV.
OBIIT PATAVII A. MDCXCVII. DIE XVIII. MEN. JUNII
HORA MATUTINA XI. CIRCITER CUM DIMIDIA.

In ſepulchrum denique, quod ſibi adhuc vivens elegerat, illatum eſt.

CAPUT II.

Corporis ejuſdem habitus, & forma, animi indoles, ingenium, & doctrina.

UT ampliſſimis gratiae donis cumulatus a Deo fuerat, ita & praecipuis naturae dotibus, quae hominem exterius quoque perficiunt, adeo eſt auctus Gregorius, ut nihil in ipſo deſideraretur eorum, quae vel animi, & corporis ornamenta ſunt, vel praeſidia, atque inſtrumenta virtutis. Ac corporis quidem habitudine optima fuit, calido nimirum, humidoque temperata, ac bile accenſa, qua effici ſolet homo ad maxima quaeque, & ardua idoneus, ac comparatus. Vigens, ac firma conſecuta eſt valetudo, quae diu integra conſtitiſſet, niſi vitae aſperitate, aſſiduiſque curis, atque laboribus eam debilitaſſet, atque imminuiſſet. Stomacho tamen laboravit numquam, ut dicere joco ſoleret, ignorare ſe qua corporis parte ipſum haberet.

Statura fuit commoda, aequali, & apta diſpoſitione membrorum, carne quamvis inedia, vigiliis, aliiſque cruciamentis afflicta adhuc ſucci plena, quod mirum, ac ſingulare prorſus me-

medicis videbatur. Facie erat oblonga, cui hilaritas quaedam inerat majeſtate plena, ampla fronte, & alta, aetatis vitio rugoſa, latis ſuperciliis, caeruleis oculis, ac renidentibus, acie verecunda, ac tranquilla, genis nec vacuis, nec pinguibus, ruga aliqua in ſenectute contractis, colore ex candido rubeo, naſo decore protenſo ima ex parte modice adunco, capillis valde tonſis, ac ſenio canis; concolor iis barba ad ſuperius labrum, atque ad mentum non abraſa, modiceque prolixa. Voce uſus eſt clara, atque perſpicua, pronunciatione expedita, ſermone temperato, urbanis ſalibus ſobrie aſperſo, ac modeſte condito.

Inerat moribus ſuavitas ingens, & quaedam ex ore, vultu, geſtu, ſermone erumpebat jucunditas, quae intuentes exhilarabat, atque ad virtutis ſtudium accendebat. Vir mitiſſimi ingenii nulla commovebatur injuria. Perhumanus, ac facilis univerſis, bene de omnibus merendi cupidiſſimus, in beneficiis compenſandis magnificus, in officiis perſolvendis accuratus, ac diligens, ſui contemtor, ac negligens, in laboribus patiens, in arduis fortis, & conſtans, profuſus in pauperes, in calamitoſos miſericors, omnibus demum omnia factus, ut indolem etiam,

& mores, non os tantum, vultumque referre Franciſci Saleſii pleriſque videretur.

Jam intelligentiae vis, quae bene conſtituti corporis habitudinem, atque egregiam animi indolem conſequi plerumque ſolet, par omnino fuit. Singularis quaedam in eo eluxit jam tum a puero ingenii vis, ac judicii maturitas ad optima quaeque ſtudia comparata; Ex quo autem literis adjecit animum, diſcendi cupidiſſimus neque ſtudio pepercit, neque labori, quo eruditione, ac doctrina proficeret: Politioribus literis ſatis excultus Philoſophiam omnem Patre monſtrante cognovit: tum utriuſque Juris peritiam haud vulgarem egregiis profeſſoribus uſus Patavii eſt aſſequutus. Gallicam, Latinam, Graecamque linguam calluit: Hebraicam quoque attigit, atque huic affines Chaldaicam, atque Syriacam non omnino ignoravit, quarum proinde ſtudia in Patavinum Seminarium primus invexit. M. Antonius Ferratius ejuſdem linguae ſanctae Profeſſor ſuis in diſſertationibus hebraicis debere ſe plurimum Cardinali Barbadico ingenue profeſſus eſt, a quo ſuſcepti operis conſilium, methodum, rerumque delectum accepiſſet. Idem in commentariis ad Livium, & Ciceronem optimam auctores illos explicandi rationem, atque

que ad ſcholarum uſum maxime accommodatam, ab eodem ſe hauſiſſe Cardinali teſtatus eſt.

Mathematicis artibus a prima juventute animum adjecit, eaſque tanto complexus eſt ſtudio, ut quidquid reconditum in ea multiplici, ac ſubtili diſciplina concluditur, totum brevi tenuerit. Quo anno in Romana Curia Praeſul verſatus eſt, conſuetudinem iniit cum Cl. V. Michaele Angelo Riccio, quem ſacra, & profana eruditione praeſtantem Innoc. XI. P. M. Cardinalium Senatui adjunxit: Is ut erat Philoſophiae, ac Matheſeos ſtudioſiſſimus, ad eadem ſtudia excolenda Gregorium ſponte ſua jam incitatum vehementius accendit. Quantum vero eorum cognitione praeſtiterit, majus nullum afferre poſſumus teſtimonium, quam Cl. Matheſeos profeſſoris, ac Magni Etruriae Ducis machinatoris Vincentii Viviani. Is cum Barbadicum jam Cardinalem officii cauſa conveniſſet, ac de rebus ejus ſtudii propriis ſermonem injeciſſet, quaeſtiones nonnullas in medium attulit oppido implexas, atque ad explicandum difficiles; Has porro expedite adeo, dilucideque Barbadicus diſſolvit, ut excellens viri ingenium admiratus Vivianus affirmaverit prae Barbadico videri ſe ſibi illius artis, quam profitebatur, plane rudem; Nec enim

enim diuturno ſtudio, ac labore id erat adhuc aſſequutus, quod ille, ut abſtruſa, ac difficillima problemata mira extemplo facilitate enodaret, ac ſolveret.

Ut primum vero Eccleſiaſticae militiae ſtipendia merere coepit, a liberalibus artibus, ac ceteris diſciplinis ad ſubliniora ſtudia animum traduxit, quae ſibi, aliiſque magis eſſent profutura. Reliquum ſcilicet vitae tempus ſacris literis cognoſcendis deberi conſtituit, in quo genere ſtudiorum ſicut in reliquis inventus eſt ſui ſimillimus, nimirum egregie doctus, atque perfectus. Sacros in primis utriuſque Foederis libros aſſidua verſabat manu, nec ullum elabi diem patiebatur, quo non aliquam eorum partem attente legeret, ac ſedulo meditaretur. Prophetarum libris exemplo Caroli Borromaei haerebat libentius, quod plura ex ipſis in concionum, atque cohortationum ſuarum uſum hauriret, ac derivaret. Theologicis diſciplinis jam ante Epiſcopatum ſe Patavii inſtituendum tradiderat magiſtro Hieronymo Erculano Ordinis Praedicatorum; Ea deinceps ſtudia ſua ipſe opera excoluit, certis ad id quotidie conſtitutis horis, quibus S. Thomae Aquinatis Summam perlegebat. In ejus porro lectione, ac ſtudio tanta eſt

eſt diligentia, aſſiduitateque verſatus, ut ſingulos fere articulos in numerato habere videretur. Quare ſi controverſia aliqua, ac difficultas de divinis rebus, deque iis, quae ad mores hominum pertinent, excitaretur, is S. Thomae loca ad eam declarandam, finiendamque ſtatim indicabat: Tum ſaepe publicis in coetibus, atque congregationibus eam S. Doctoris Summae partem ad ſe afferri, & verba ipſa recitari jubebat, quae propoſitam quaeſtionem, ac nodum omnem facile expedirent, atque diſſolverent. Repertae ſunt ab ejus obitu interjectae eidem Summae, qua vivens Cardinalis utebatur, ſchedae complures ipſius manu deſcriptae ad varia illuſtranda S. Doctoris loca praeclaris adnotationibus, quae viri diligentiam non minus quam doctrinam oſtendunt.

Veterum porro Eccleſiae monumentorum uberrimam ſibi diuturna lectione notitiam comparaverat, atque ex iis veluti ex fontibus Eccleſiaſticae hiſtoriae, quam ſemper in deliciis habuit, ſitim explebat. Annales Baronii univerſos, & qui eos continuavit Spondanum ſemel, atque iterum diligentiſſime evolvit. Ad hiſtoriam veteris Teſtamenti Saliani utebatur annalibus. Chronologiam, quae facem hiſtoriae praefert,

fert, ex Scaligeri libris *de Emendatione temporum*, ejuſque notis in Euſebii chronicon, tum ex Petavio *de Doctrina temporum*, ut erat Aſtronomiae peritus, facile eſt aſſequutus. Ita demum ſacram comprehenderat animo hiſtoriam, ut ejuſdem tradendae methodum Seminarii ſui profeſſoribus commonſtraverit, ac ſubſecivis horis ejuſdem hiſtoriae capita Clericis perlegere ipſe nonnullis, atque explicare ſoleret. Rerum denique Eccleſiaſticarum ſive quae ad diſciplinam, ſive quae ad ſacros ritus, & caeremonias pertinent, peritiſſimus fuit. Dicere ſolebat: numquam ſe alacrius, neque libentius in re ulla ſtudium poſuiſſe, quam cum Romae eam adiret Congregationem, quae Tridentini Concilii Interpretum Cardinalium eſt. Cum enim ejuſdem Concilii doctrinam, ac diſciplinae leges animo penitus imbibiſſet, quaecumque ad eam ſpectarent, promte adeo, ſolideque explanabat, ut ejus ſuffragium doctiſſimum omnium haberetur, atque tutiſſimum. Nihil vero magis eccleſiaſticae ipſius eruditionis copiam oſtendit, quam editum Paſtoralium ejus documentorum, atque Epiſtolarum volumen quamplura complectens, quae ad optimum, accuratumque pertinent Eccleſiae regimen, Cleri, populique inſtitu-

tutionem, dignum certe opus, quod Epiſcoporum manibus aſſidue teratur.

Memoria per omnem aetatem ad retinenda quaecumque percepiſſet firma viguit, atque tenaci, nec minus facundia valuit ad ea promenda facili adeo, expeditaque, ut in ſubita, ac fortuita oratione tam affluenter, appoſiteque diceret, quam praemeditato; afferebat nimirum hanc illi facilitatem doctrinae amplitudo, qua pectus compleverat. Dicendi, ſcribendique genus conſectabatur preſſum, ac ſententiarum pondere magis, quam verborum phaleris exornatum. Doctos, ac literatos viros literatus ipſe coluit ſemper, ac ſtudio complexus eſt ſingulari. Eorum nonnullos contubernales habuit, ac familiares, alios Seminarii ſui ſcholis praefecit, complurium vero abſentium amicitiam literis coluit. In his memorantur Henricus Noriſius, & Sfortia Pallavicinus S. R. Eccleſiae Cardinales, Johannes Mabillonius Benedictinus, Johannes Paulus Oliva, & Paulus Segnerius Societatis Jeſu; Odoricus Raynaldus, Marianus Socinus, & Marcheſius Congregationis Oratorii; Salomonius, Erculanius, & Grandius Ordinis Praedicatorum, ejuſdemque Ordinis Magiſter Generalis Antonius Cloche, quo cum de Seminarii ſui

ſcholis inſtituendis & coram, & abſens per literas egit, ejuſque conſilia plurimi fecit. Regularium univerſim ordinum viros probitate, ac doctrina praeſtantes impenſe coluit, atque dilexit. Cum a prima adoleſcentia id vitae genus ſibi amplectendum propoſuiſſet, ad eorum deinceps normam cum ſuae, tum familiarium vitae rationem exegit; Eos habuit conſcientiae ſuae moderatores, & arbitros, vitaeque ſpiritualis magiſtros; Primos Seminarii ſui inſtitutores ex ipſis accepit; In eorum clauſtra ſecedebat identidem piis colloquiis, atque exercitationibus vacaturus; Eorum denique opera, conſiliis, ac ſtudiis continenter utebatur.

CAPUT III.

Quae fuerit ſanctitatis ejus opinio, & fama poſt mortem.

VIrtutum, & ſanctitatis famam, qua Gregorium dum viveret claruiſſe diximus, conſecuta mors non modo non imminuit, aut delevit, ſed quod clariſſimis viris non ſemper contingit, mirum etiam in modum confirmavit, & auxit. Neque vero ad Patavinos dumtaxat, ſed ad

ad Italiam univerſam, exteraſque gentes ſpectare viſa eſt ſanctiſſimi Cardinalis jactura, cui proinde ſuae erga ipſum exiſtimationis, cultus, & obſervantiae non exigua cum privata, tum publica argumenta dedere. Ac Patavini quidem, quorum ob oculos continenter obverſabantur amiſſi paſtoris amantiſſimi ſtudia, ſuſceptique pro eorum commodis, ac ſalute labores, triumphali magis, quam funebri pompa in ſingulis fere cum civitatis, tum provinciae templis eidem parentarunt. Celebrata ubique ſolemnia ſacra, excitatae funebres moles ingenti cereorum vi, habitae de illius laudibus orationes, ſcripta cum italice, tum latine epicedia, elogia, & carmina ad ejus nominis commendationem ſempiternam.

Patavinorum ſtudia aemulati ſunt Bergomates, quorum Eccleſiae cum ſeptennio praefuiſſet Barbadicus, alte infixum eorum animis reliquerat ſui deſiderium, ac numquam interituram beneficentiſſimi patris memoriam. In omnium itaque oculis erat, atque omnium linguis celebrabatur Cardinalis extinctus, quem a ſe viſum dum viveret, nonnulli ſibi gratulabantur; alii, quod ipſum alloqui potuiſſent, quod ſacrum facienti adfuiſſent, alii, quod benedictionem ab eo

accepiſſent, felices ſe, beatoſque praedicabant. Ac ne ſubtracti ex oculis Paſtoris amantiſſimi ex animis elaberetur umquam praeſentia, vel pictas, vel aere inciſas, ac papyro exceptas ejuſdem Imagines quiſque apud ſe habere cupiebat, atque eo nonnullorum pietas, ac religio progreſſa eſt, ut ipſas non memoriae tantum, ſed cultus, ac venerationis cauſa apud ſe retinerent.

Ex hac ipſa, quae plurimorum animis inſederat, ſanctitatis ejus opinione fiebat, ut ad ejus ſepulchrum tamquam ad aram confugerent, ejuſque cineribus Sanctorum honores deferre non dubitarent. Videre licebat ante ipſum genibus nixos precari, opem poſcere, donaria offerre, accendere cereos, vota, tabellas, atque anathemata appendere, quae templi cuſtodes, cum ne fierent impedire, atque arcere pro Eccleſiae diſciplina ea cultus ſigna vix poſſent, ſtatim refixa, ac detracta amovebant.

Neque vero hi pietatis, ac religionis ſenſus plebejos dumtaxat, ac rude vulgus occupaverant, ſed praeſtantes quoque dignitate, ac doctrina viros mirifice affecerant, ut prudenter, & graviter, magnificeque de Gregorii ſanctitate judicarent, ſcriberent, ac loquerentur. Ut multa

ta hujus generis teſtimonia praetermittamus, quae in publicas tabulas conjecta ſunt, unam afferemus nondum, quod ſciam, vulgatam celeberrimi pietate, atque eruditione viri Johannis Mabillonii Benedictini ad Cardinalem Colloredum Epiſtolam, qui cum nuncium de Barbadici morte accepiſſet, haec ſcripſit: „ Explicare oratione non poſſum quanto dolore affectus ſim „ ex morte beatae recordationis Eminentiſſimi „ Domini Cardinalis Barbadici, quem alterum „ noſtri ſeculi Cardinalem Borromaeum vocare „ ſolebam. Ego pientiſſimum virum coram „ cognovi, atque ita ſuſpicio ejus memoriam, „ ut non dubitarem me illum viſurum inter Sanctos aliquando relatum, ſi paulo diutius mihi „ vivere contingeret. Ceterum de aeterna illius felicitate tam certus ſum, quam ejus ſanctitas mihi explorata fuit. Et quidem ſpero, „ cum vivens me ſua benevolentia proſecutus „ ſit, ac literis ſaepe dignatus, in illa patria „ charitatis mihi propitiam fore, quod maxime „ optem, perfectam ejus charitatem „. Quid? quod iiſdem fere ſenſibus Ephemeridum Scriptores Batavi quamquam a noſtra communione alieni in hebdomadariis rerum novarum commentariis renunciata Barbadici morte, poſt effuſas ejuſ-

ejuſdem virtutum laudes, fore addiderunt, ut is aliquando veluti Carolus Borromaeus inter ſanctos, quos Romana colit Eccleſia, adſcriberetur.

Subſecutis deinde prodigiis, collatiſque in multos ad Gregorii opem, praeſidiumque confugientes beneficiis, uſque adeo excrevit plurimorum in eum ſtudium, ut nulla expectata Romanae, Apoſtolicaeque Sedis permiſſione, eum ut ſanctum colere, venerarique non dubitarent. Eademque de cauſa factum, ut res, quibus vir ſanctiſſimus fuiſſet uſus (quod ſalutares multis fama vulgaverat,) quaeque ipſius corpus, aut feretrum, ſepulchrumve contigiſſent, ab omnibus cupidiſſime expeterentur, ſummoque haberentur in pretio, tamquam praeſentiſſimum adverſus morbos, & mala corporis remedium, atque ſubſidium. Cujus quidem rei teſtimonium cum primis illuſtre tulit F. Vincentius Maria Cardinalis Urſinus Ordinis Praedicatorum, qui deinde Benedicti XIII. nomine Pontifex Maximus fuit. Is enim cum Beneventanae Eccleſiae Archiepiſcopus eſſet, haec in publicas tabulas referenda juratus pro teſtimonio dixit: „ Etſi de Gregorii „ ſanctitate cum viveret bene, praeclareque ſentirem, hujus tamen poſt mortem cum a plu„ rimis atque ab Epiſcopo in primis Cremenſi, a Bel-

„ a Bellonio Praeſule, atque a Varotio Abbate „ multa effici mira illius ope, ac patrocinio in- „ tellexiſſem, mirum in modum confirmata, & „ aucta eſt mea de viri ſanctitate exiſtimatio. „ Quamobrem majore exinde fiducia me illi ſan- „ ctiſſimae animae, quo mihi auxilio eſſet, com- „ mendare coepi, nihilque ab eo ſum precatus, „ quod pro votis non impetraverim. Atque ego „ quoque, uti complures, qui Patavii, cum Gre- „ gorius deceſſit, agentes aliquam ipſius reli- „ quiam obtinuere, integram Dalmaticam ſeri- „ cam rubri coloris, qua ille utebatur, dono „ accepi. Hanc, graviſſimorum virorum, qui „ aliqua Gregorii re potiti ſunt, in primiſque „ Magni Etruriae Ducis exemplo, apud me di- „ ligenter uti rem pretioſiſſimam ſervo, reli- „ gioſeque veneror, & colo „. Infinitum eſſet ſingula percenſere velle. Id unum ſufficiat, maximam fuiſſe apud ſummos quoque, ac Principes viros hujuſmodi donorum cupiditatem, atque exiſtimationem.

Pervagata itaque prodigiorum, quae ipſius ope identidem effici praedicabantur, fama, magni fiebant ad ejus ſepulchrum concurſus cum indigenarum, tum externorum, ac tranſalpinorum quoque hominum, qui Patavium adibant.

At-

Atque eo quidem hanc unam ob cauſam divertebant nonnulli, ut ſacras Barbadici exuvias viſerent, ac venerarentur, ejuſque precibus divinum ſibi numen conciliarent, nec irrito ſane ſucceſſu; quam multis enim ejus opem poſcentibus, ac vota eidem nuncupantibus praeſto fuerit, iiſdem efferemus verbis, quibus ad Clementem XI. P. M. literas dedit Eccleſiae Patavinae Capitulum, quae hujuſmodi ſunt: „ Admiranda, „ quae fecit, neque auribus audivimus, neque pa- „ tres noſtri annunciaverunt nobis; quod ipſi „ vidimus teſtamur, neque poſſumus, quae vi- „ dimus, non loqui. Hoc eximium ſanctitatis ge- „ nus miraculis illuſtravit Deus, unde frequens „ ad ejus ſepulchrum concurſus, & ſacris veſti- „ bus maximus honor haberi coepit. Imperavit „ ventis, & aquis, recedentibus his ad ejus in- „ vocationem, illis quieſcentibus: Deficientem „ annonam mirum in modum multiplicavit: „ Pueri ex utero matris claudi baſes, & plan- „ tas conſolidavit: Graviter aegrotantibus ſalu- „ tem, ulcere prorſus incurabili laborantibus „ ſanitatem repente reſtituit, &c. „

Jam vero cum de patratis ad ejus ſepulchrum prodigiis mentio ſit facta, memorabile hoc loco Cardinalis Bullionii factum, dictumque praeter-

tereundum non eſt. Is cum Patavium veniſſet, ad Gregorii ſepulchrum quantocyus adiit, ibique in genua provolutus, ac ſupplex, cum prodigia patrari illius interventu audiſſet: „ Quid „ mihi, inquit, mira haec narrare pergitis? Sin„ gulare illud, ac pene incredibile, quod oculis „ hiſce meis vidi, atque perſpexi, majus omnibus, „ quae de illo feruntur, prodigium reor, idque „ unum ſatis fore arbitror ad eum in Sanctorum „ numerum referendum. De Pontificatu maximo „ loquor, quem ampliſſimum honoris, dignita„ tiſque gradum, veluti manu hunc ego Car„ dinalitium pileum, ille tenebat, niſi unus „ ipſe Cardinalium ſuffragiis, atque conſiliis „ obſtitiſſet, ſibique ad ſupremam in terris ſe„ dem aditum omnem ultro intercluſiſſet.

CAPUT IV.

Miracula quaedam Gregorii precibus poſt ejus obitum a Deo patrata.

QUae Gregorium adhuc inter mortales agentem clarum miracula reddidere, paullo ſuperius a nobis memorata ſunt; Jam ea, quibus aucta, poſtquam is deceſſit, eſt viri ſanctiſſimi

 fama,

fama, ipſique parta in Caelo gloria certis veluti notis, ac ſignis a Deo hominibus declarata fuit, exſequemur. Quoniam vero ea neque pauca, neque obſcura ſunt, ſingula autem complecti hoc loco velle, & operoſa nobis, & lectoribus longa res eſſet; brevitate utemur, atque ex eorum numero, quae publicis ſunt tabulis conſignata, pauca dumtaxat afferemus.

Primum omnium ab oculatis, juratiſque teſtibus memoriae proditum fuit, compluribus, qui graviſſimis febribus laborabant, Gregorii ope, ac beneficio fuiſſe extemplo ſanitatem reſtitutam. Soror Julia Mazzacuti converſa monaſterii Patavini S. Roſae adeo maligna febri, pectoriſque inflammatione conflictabatur, ut ſacro oleo jam inungenda videretur. Acceſſit ad miſeram Confeſſarius, monuitque, ut ad Barbadici opem, auxiliumque confugeret, biberetque aquam, in quam nonnulla illius purpureae veſtis fila immiſerat; Id ea cum feciſſet, ſtatim ab hauſtu illius aquae e lecto, mirantibus omnibus, valens, & firma ſurrexit = Octavius quoque Niger puer novennis ex acuta febri, maligniſque puſtulis, & variolis jam jam moriturus, fruſtum ejuſdem purpurae in aquam injectum deglutiens extemplo convaluit = Nicoloſa Cinetti ejuſ-

ejuſdem monaſterii S. Roſae ſoror ictu lapidis, qui ex alto deciderat, lethaliter in capite vulnerata, cum praeterea vehementi febri, ac frequenti ſyncope affligaretur, ut Gregorii opem imploravit, hujus pileolo, adhibita ſacerdotis prece, eidem impoſito, ab imminenti, certoque interitu liberata continuo e lecto proſilivit = Soror etiam Cajetana Zonnia, cum quatuor ipſos annos febribus, continenti pectoris dolore, multiſque perniciosis ſymptomatibus affecta, ac deſperata prorſus valetudine, quinquies orationem Dominicam, totieſque ſalutationem angelicam in honorem Gregorii Barbadici recitaſſet, hujuſque praecordiorum fruſtulum pectori ſuo admoviſſet, integram momento temporis ſanitatem recuperavit.

Urſula Pintona cum hernia inteſtinali, gangraena in ſiniſtra mamilla, aſſiduiſque doloribus, pertinaci febri, aliiſque ſymptomatibus jam ſpatio annorum ſex miſere cruciaretur, poſtremiſque ejus temporis menſibus ſeptem, ſe movere non poſſet, ut ad Gregorii opem confugit, extemplo ſalvam omnino ſe, atque incolumem ſenſit; mane porro inſequentis diei hilaris medico eam de more inviſenti pedibus obviam ad aedium ſcalam proceſſit, non ſine in-

genti ejuſdem, ceterorumque admiratione = Invocato quoque Gregorii auxilio Lucretia Fabricia annos nata xvii. carcinomate, quo ſiniſtra mamilla contaminata per annos ferme duos languebat, cum nihil jam in arte medentium praeſidii eſſet, e veſtigio prorſus convaluit = Nec abſimile hoc aliud fuit: Annis decem Franciſcae Zoilae immedicabilis cancer ſiniſtram mamillam, qua molliores, & carnoſiores ſunt partes, inſederat, ac miſeram aſſiduo dolore torquebat: partem purpurae Gregorii admovit aegra affectae parti, & repente victa mali vis omnis abſceſſit, nullo cancri relicto veſtigio = Lucia item Caſotta complures annos gangraenis duabus dextero brachio laborans, ac nullo ſanari ſe poſſe medicamento intelligens, adhibito ad brachium Gregorii veſtis ſegmento ſanata repente fuit.

Lucretia Piazzola Monialis SS. Rocchi, & Margaritae Venetiis urinae incontinentia inſanabili jamdiu conflictabatur: Bibit aquam cum nonnullis filis cinguli purpurei, pileolique Gregorii, tum ſomno correpta ſibi videre viſa eſt Gregorium, qui ſe illam adhibito crucis ſigno tangeret, ſanitatique reſtitueret. Excitata a ſomno ſanam ſe eſſe re ipſa cognovit = Fruſtulum ſimiliter

liter Gregorii purpurae immiſſum in aquam Franciſca Baſſana ut bibit, ejuſdemque ſervi Dei reliquiam neſcio quam cum ſacerdotis precatione adhibuit, ab immedicabili, ac periculoſa haemorrhagia, qua per plures menſes laborabat, extemplo liberata eſt.

Mulier Belloſa nomine arthritide cum totius corporis tumore, urinaeque maximo ardore laborans: ac Spes Sandina de Grandis jam diebus triginta ventris doloribus ita oppreſſa, ut brevi medicorum judicio interitura videretur; ubi Gregorii epiſtola earum ventribus admota eſt, Belloſa illico e morbo ſoſpes evaſit: Spes vero abortum enixa continuo ſana, atque incolumis fuit.

Magdalena Poleſſi adoleſcentula cum annos ferme quinque acri in oculos humore defluente ita laboraſſet, ut eorum tandem uſum amiſiſſet, ubi mater implorato Gregorii praeſidio reliquiam ipſius neſcio quam aegris oculis admovit, confeſtim caecitate depulſa viſum recepit = Bernardinus autem Bregandi puer annorum trium pedes a nativitate gerebat inverſos, contortoſque, ut iis ſtare nullo modo poſſet. Hujus patruus linteolo, quo Gregorii cadaver contactum fuerat, Bernardini lecto cubantis pedes circumducit: factumque maximo prodigio eſt,

ut

ut infans, ubi dies illuxit, rectis inſiſteret pedibus, iiſque omnino liber, atque expeditus incederet, cunctis qui aderant rei admiratione defixis.

Nec mirandum minus hoc fuit: Caſſandram Pappaſavam nobilem Patavii mulierem, cum vehementi febre, maligniſque puſtulis toto corpore laboraret, medici pro certo morituram affirmabant, praeſertim cum ad vim morbi delirium accederet, adeoque ſingularis furor, ut complurium qui aderant vi cohiberi vix poſſet, ne praecipitem ſe daret e lecto. Igitur cum nulla jam ſpes ſalutis reliqua eſſet, ejus ſoror Anna arceſſit ſacerdotem, qui invocato Gregorii auxilio ejus ſuperhumerale aegrotanti admoveat. Ut factum id fuit, illa ſtatim furere deſiit, ac mentis primo, paulloque poſt etiam corporis ſanitate recepta, vitam debere ſe Gregorio teſtata eſt.

Eſt quoque illud commemorandum, quod Venetiis Mariae Margaritae Condulmeriae ſorori S. Mariae de Caeleſtia contigit. Haec adeo aſſiduis, graviſſimiſque doloribus, nervorumque contractionibus angebatur, ut ſaepe omni ſenſu, motuque corporis deſtitueretur, ſaepe caput magno impetu circumquaque jactaret, ſaepe

ſaepe omnibus artubus tremeret, ac vix unius minuti horae ſpatium, quo refici cibo poſſet, ſororibus relinqueret. Cum in eo ſtatu duos ipſos menſes manſiſſet, ix. Kal. Februarias hora noctis ſecunda ſperans ſe beatiſſimae Mariae Virginis, Gregoriique interventu e morbo convalituram, ubi paullulum aquae luſtralis cum immiſſis fruſtulo pallii ejuſdem B. V., quod in templo monaſterii ſervabatur, nonnulliſque filis veſtium Gregorii bibit, illico valens, & ſoſpes e lecto proſiliit, atque ad conſanguineos inviſendos, qui tanto prodigio permoti ad monaſterium convolarant, ea ipſa nocte ſe contulit.

Vicentiae, quae urbs eſt Venetorum, hoc aliud accidit. Anno MDCCXX. Auguſto menſe Johannes Baptiſta Monza Comes, Erminia Clara Franzania illius uxor, atque horum filii Albertus, & Cajetanus cum maligna febri, fluxuque ſanguinis in extremum vitae diſcrimen veniſſent, & fatigatis nequidquam medicorum ingeniis morbus curam omnem, ac diligentiam eluderet, iis dimiſſis, Johannes a Gregorio Barbadico ſalutem ſibi, uxori, liberiſque petendam judicavit. Itaque ut precatus ſanctiſſimum Antiſtitem fuit, votoque facto promiſit ſe, uxorem, filios ad ejus ſepulchrum Patavium profecturos, ibique

ibique anathema in accepti beneficii teſtimonium relicturos, repente melius ſe habere omnes coeperunt, brevique recuperata ſanitate, ac viribus, colendorum liberatoris ſui cinerum cauſa Patavium contenderunt.

Latius exponendum eſt alterum reſtitutae ſanitatis prodigium, quod Vincentius Maria Urſinus, Ordinis Praedicatorum decus, & ornamentum, qui Pont. Max. creatus Benedictus XIII. eſt dictus, cum Archiepiſcopatum Beneventanum gereret, Ven. Barbadici beneficio impetravit: idemque in gratam memoris animi ſignificationem juratus aſſeruit, atque in publicas tabulas referri voluit his ferme verbis: „ Anno, inquit, 1699. octavo Kal. Octobris cum „ meam dioeceſim luſtrans in coenobium FF. „ Praedicatorum Circiae majoris divertiſſem, „ ingentemque lapidem, quem collocari in ara „ S. Dominici oportebat, inſpicerem, lapis in „ ſiniſtrum crus meum, pedemque offendit: „ Etſi cutis tantum cruris ſaucia duabus in partibus eſſet, pes tamen ita laeſus contuſione, „ ac deciduo, corruptoque humore fuit, ut ſtare „ eo nullo modo poſſem, ac in lecto, vel in „ ſede aliqua jacere cogerer. Interim pridie „ nonas Octobris cum delatus in aedem Novi-

„ tiorum

„ tiorum ſacro intereſſem, vi quadam excitari,
„ urgerique me ſenſi ad preces illarum ſimiles,
„ quibus S. Philippus Nerius uſus eſt, adhi-
„ bendas: Te obſecro, inquam, obteſtorque
„ ſanctiſſima Chriſti Mater Virgo Maria, ut
„ pro Cardinalis Barbadici dum viveret in te
„ pietatis ſtudio, proque illius in luſtranda dioe-
„ ceſi diligentia, ac laboribus me hoc morbi
„ incommodo ſolvas, quo & ipſe meam, ſi id
„ tibi honori futurum noveris, inviſere dioece-
„ ſim pergam. Abſoluto ſacro, quin animum
„ adverterem, nemine opitulante, e ſede exur-
„ rexi non modo, meiſque me pedibus in cu-
„ biculum ſoſpes recepi, ſed etiam ad ejuſdem
„ diei veſperas, levationis cauſa, dormitorium,
„ quod dicimus, pedibus liber inceſſi. Itaque vi.
„ Idus ejuſdem menſis aram templi maximam,
„ & v. Idus aram ſacelli mihi conſecrare licuit.
„ Interim cum Dalmaticam Barbadici, quam do-
„ no ab illius fratre acceperam, pedi meo admo-
„ verem, magnam inde voluptatem percipere vi-
„ debar, ac novas pedi vires addi ſentiebam. Quo
„ factum eſt, ut cum ſanari a chirurgo non potuiſ-
„ ſem, Mariae Virginis ope, ac Gregorio depreca-
„ tore quam citiſſime convaluerim, ac prodigium
„ celebrans, gratias utrique maximas habuerim.

Multo major legentem admiratio inceſſet ex hoc alio prodigio, quo vel ipſa elementa Gregorio obſequuta cognoſcet. Calcinati, qui vicus eſt agri Brixienſis, viii. Idus Novembris anno 1721., cum ſtabulum, quod Finonii obtinebant, flammam concepiſſet, adeo auctus ignis furente, validoque vento fuit, ut priuſquam, quemadmodum accidiſſet, animadverti poſſet, conflagraturum brevi temporis ſpatio locum, & omnia conſumenda eſſe viderentur. Imminens ſane, certumque erat periculum, ne in adſtructas ſtabulo contabulationes, proximaſque aedes foeno plenas vento ignis inferretur. Pavore igitur, atque impendentis exitii horrore perculſi Finonii, magnaque multitudo oppidanorum ad ſtabulum accurrunt, atque disjectis tectis compeſcere aqua incendii vim properant. Sed cum reſtingui nullo modo poſſet, & conſilium omne deficeret, Dominicus Legatus fruſtum purpurae Gregorii Barbadici Finonio medico, qui rem ſuam ire peſſum miſere lamentabatur, tradit, eumque ut implorata Gregorii ope purpuram in ignem projiciat hortatur. Id cum medicus magna fiducia feciſſet, dictu profecto, viſuque mirum, ut flammae quaſi Barbadici purpuram reverentes, ſpatium ei ne arderet

deret relinquere, ac veluti ſe contrahere, paulloque poſt ita decreſcere coeperunt, ut una hora reſtincto incendio foenile, foenum, ac ceteras res omnes ereptas e tanto periculo univerſi qui aderant gratularentur. Sed mirandum magis intuentibus illud fuit, quod poſtridie ejus diei cum ea, quae minime conſumta incendio fuerant, oppidani ſecernerent, purpurae particulam omni ex parte integram, papyrum autem, qua obtegebatur, leviter tantum fumo obfuſcatam inter carbones invenerunt. Quae omnia cum defuncti periculo non ſine lacrymis, ac ſtupore animadverterent, inſigne beneficium Gregorii meritis acceptum retulere, ac jurati haec ita ut diximus facta eſſe teſtati ſunt.

Sed de miraculis hactenus, quae qui voluerit, poterit in Gregorio maxime admirari. Ego haec quidem, ut eſt aequum, magni pendo, atque ſuſpicio, ſed illa magis, quorum ſibi partem fides mortalium non decerpit, quae frequenter cum ſervorum Dei beneficentia, atque effectrice prodigiorum virtute, vel ex aequo, vel ex parte ſaltem aliqua conſpirat ad ea, quae cupiunt aſſequenda. Admiror Barbadici virtutes, nec pluris facio illuſtria, & magna, quae largiter in eum contulit Deus O. M. cum naturae

tum gratiae dona, & ornamenta, quam quod ea eximiae fecerit inſtrumenta ſanctitatis. Sed & ipſis virtutibus * *mirabilius judico, quod magna, & rara virtus profecto eſt, ut magna operantem ſe neſciret, & manifeſta omnibus ſua cum eſſet, eum ſolum lateret ſanctitas; mirabilis appareret*, ac ſupremae in terris dignitati par omnino haberetur, *is vero ſe imparem prorſus, & contemtibilem reputaret*. Miror denique hac noſtra fere aetate, qua chriſtiana torpeſcit pietas, frigeſcit charitas, hominumque mores ab antiqua ſeveritate tantopere deciderunt, vixiſſe Epiſcopum, & Cardinalem, veteris diſciplinae exemplum, qui priſcam illam ſanctiſſimorum Antiſtitum vitae rationem operoſam, aſceticam, ac plane apoſtolicam non aemulari modo, ſed aequare potuerit, ut, qui eos ad imitandum ſibi propoſuit, ipſe deinde extiterit exemplar abſolutiſſimum, ad quod alii ejuſdem ordinis vitam ſuam exigant, atque componant.

Atque haec potiſſimum habui, quae de Gregorii Barbadici vita, ac rebus geſtis monumentis traderem literarum. Jam vero hiſtoriae ad umbilicum perductae coronidem addere liceat Ber-

* *S. Bern. Serm. 13. in Cant.*

Bernardi verbis *: *Habemus in ejus vita, & quod digne miremur, & quod ſalubriter imitemur: tutius ſane aemulanda ſolidiora, quam ſublimiora, et quae magis virtutem redolent, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus ſimilari, etſi volumus, non valemus.*

APPENDIX

De iis, quae hactenus in cauſa Canonizationis B. Gregorii Barbadici peracta ſunt.

UT adhuc in terris agente Gregorio Barbadico ſanctitatis ejus fama longe, lateque pervagata fuerat, ita & multo magis novis accedentibus poſt ejus obitum patratis ipſius ope miraculis aucta, & propagata eſt. Quare ne adhuc viventium hominum ad fidem de rebus ab eo geſtis, virtutibus, atque prodigiis poſteritati faciendam teſtimonia interirent, aequiſſimum, opportunumque viſum eſt illius gloriae ſtudioſis publicum, ac legitimum inſtitui de viri ſanctitate judicium. Patavinorum primum, tum Bergomenſium haec omnium, qua privata, qua publica in Gregorium ſtudia, ac vota fuere. Qua-

* *Serm. 1. de S. Victore.*

Quare civitatis utriuſque cives Epiſcopum adiere ſuum, ut publicas more, inſtitutoque Eccleſiae ea de re tabulas confici vellet, atque juberet. Id enim optimo, ſanctiſſimoque Paſtori ſuo deberi jure, meritoque putarunt, qui praeter vitae innocentiam, & ſanctitatem, egregiis curis, atque laboribus perutilem eorum ſaluti operam impendiſſet, atque innumeris utramque Eccleſiam beneficiis cumulaſſet. Ad publicas itaque tabulas cum de Gregorii geſtis, atque virtutibus, tum de nullo ei poſt mortem tributo cultu Patavii, ac Bergomi deventum eſt. Publicae item tabulae auctoritate, ut ajunt, ordinaria inſtitutae Romae, Venetiis, Florentiae, Mediolani, Mutinae, ac Beneventi, riteque confectae ad Apoſtolicam ſedem tranſmiſſae ſunt. Additae ſupplices ad Clementem XI. P. M. multorum epiſtolae numerò CCCLVII. uno deinde volumine exceptae, atque vulgatae, quibus ſummi Reges, ac Principes, S. R. E. Cardinales, Eccleſiarum Antiſtites, & Capitula, omnes fere Regularium Ordinum Praeſides generales, publicae Academiae, Magiſtratus, & Collegia certatim votis inſtabant ac precibus, ut caeleſtes Gregorio honores ſupremo Eccleſiae judicio deferrentur.

Exhi-

Exhibita ſacrae Rituum Congregationi acta omnia rite aperta, ac lecta ſunt die 11. Julii anno 1716.: Tum cauſae Relator ab Innocentio XIII. P. M. deſignatus fuit Cardinalis Zondedarius, qui Theologos nonnullos cognitores, cenſoreſque adhibuit operum, ſcriptorumque Ven. Gregorii, in quibus cum nihil reprehendendum offendiſſent, eadem ſacra Congregatio die 3. Julii 1723. *Nihil obſtare* pronunciavit *ad cauſae proſecutionem* Eodem anno die 11. Decembris a laudato Pontifice manu propria ſignata eſt introductionis cauſae commiſſio, atque inſequentis anni 1724. die 15. Julii: *De cultu Servo Dei non exhibito conſtare*, reſpondit eadem Congregatio, quod quidem reſponſum auctoritate ſua firmavit Benedictus XIII. Innocentii ſucceſſor.

Interea cum duo de triginta ab obitu Gregorii annis humidiore loco, quo primum conditum fuerat, ejus corpus jacere animadverterent Patavini, magno fortaſſe ſacri pignoris detrimento; augeretur praeterea in dies miraculorum, & populi ad ſepulchrum frequentia, ſuarum eſſe partium duxerunt in locum ſicciorem illud transferre, ac ſepulchro nobiliore reponere. Id ne cauſae obeſſe poſſet, quaeſita, atque ad faceni-

ciendum impetrata ſacrae Congregationis facultate, quae conſilium probavit die 23. Septembris 1724. dummodo ſervaretur in omnibus ritus, ac forma a Fidei Promotore tradenda; opus quantocyus curatum, atque perfectum eſt. Indicta enim translationis die convenere ad ſepulchrum conſtituti judices, medici, chirurgi, ac teſtes coram Johanne Franciſco Cardinali Barbadico Epiſcopo Patavino Ven. Gregorii fratris filio, tum erutae, apertaeque arcae, quibus incluſum cadaver fuerat, quod ingenti omnium admiratione integrum prorſus, atque incorruptum, omni ex parte flexibile, ac mortis temporiſque injuriarum expers, divinitus conſervatum repertum eſt. Agnovere prodigium quotquot ſpectaculo intererant, & laudavere Deum excelſum, qui non dedit Sanctum ſuum videre corruptionem. Poſt haec ne leviter quidem violatum, ſed integrum uti repertum fuerat, accurate clauſum loco digniore collocatum eſt, poſito ex marmore ad tumulum hoc rei monumento.

D. O. M.

D. O. M.
C O R P U S
VENERABILIS SERVI DEI
GREGORII S. R. E. CARDINALIS BARBADICI
EPISCOPI PATAVINI
E SEPULCHRO
QUO XXVIII. ANTE ANNIS CONDITUM FUERAT
PRAEVIO DECRETO SAC. RITUUM CONGREGAT.
APPROBATO A SS. D. N. BENEDICTO XIII. P. M.
JOH. FRANCISCUS S. R. E. CARDINALIS BARBADICUS
EPISCOPUS PATAVINUS
FRATRIS FILIUS
HUC TRANSTULIT
ANNO MDCCXXV. MENSE MAJO DIE XXVI.

Romae interea conficiebatur proceſſus, ut vocant, Apoſtolicus *ſuper fama ſanctitatis in genere*, qui cum abſolutus, & obſignatus ſacrae Congregationi eſſet exhibitus die 15. Septembris, ipſius decreto referatus, & lectus eſt. Alii quoque Apoſtolica auctoritate proceſſus *in ſpecie* ejuſdem Congregationis juſſu Patavii, Bergomi, ac Venetiis inſtituti ſunt, atque ab eadem ſacra Congregatione adprobati die 20. Julii 1734.

Nova deinde in memoratis Urbibus ejuſdem ſacrae Congregationis juſſu nonnullarum epiſtolarum, ac MSS. Ven. Gregorii inſtituta eſt perquiſitio, quae ad Theologorum examen deducta ſunt,

eorumque relatione facta a Cardinali Gentili, ſacra Congregatio die 7. Maji 1746. reſpondit: *Procedi poſse ad ulteriora*, *reſervato jure D. Promotori opponendi ſuis loco*, & *tempore*. Volumina quoque familiarium epiſtolarum, quas a prima aetate ad mortem uſque ad multos dederat Gregorius, ad examen vocata cenſuram omnem evaſere, eodemque Cardinali referente ſacra Congregatio reſcripſit die 20. Julii 1748. *Procedi poſse ad ulteriora*.

His itaque praemiſſis, riteque diſpoſitis poſt praevias, ut vocant, antepraeparatorias, ac praeparatorias Congregationes ſuper examine cum Theologalium, tum Cardinalium virtutum Ven. Servi Dei, quarum prima apud Eminentiſſimum Galli cauſae relatorem habita eſt die 29. Martii anni 1757., altera in Palatio Apoſtolico Quirinali die 26. Septembris anni 1758. convocata demum poſtrema generali coram SS. D. N. CLEMENTE PP. XIII. die 30. Januarii 1759. hoc Decretum editum eſt.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM.

VENETA, SEU PATAVINA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Bergomenſis, poſtea Patavini,

SUPER DUBIO

An conſtet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

P*Ropoſita a Reverendiſſimo Cardinali Gallo Ponente in Congregatione Generali Sac. Rituum habita die* 30. *Januarii* 1759. *coram Sanctiſs. D. N.* CLEMENTE XIII. *Cauſa Veneta, ſeu Patavina Ven. Servi Dei* GREGORII BARBADICI *S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Patavini, in eaque diſcuſſo dubio*: An conſtet &c. (*ut ſupra*), *Sanctitas ſua auditis Reverendiſs. Sac. Rituum Congregationi Praepoſitorum, necnon Conſultorum ſuffragiis, qui unanimi conſenſu conſtare de ejus virtutibus in gradu heroico cenſuerunt, nihil tum decernens, ad eum*, qui operatur virtutes in nobis, *tam ſuis, quam aliorum precibus confugit, humiliter deprecando*, ut notum ei faceret ſacramentum voluntatis ſuae. *Hac vero die* 8. *Februarii, qua B. Hieronymi Aemiliani Ven. Gregorii Concivis in terris ſolemnis commemoratio*

agitur, peractis ſacroſanctis myſteriis Sanctitas Sua coram ſe advocavit Reverendiſſimos DD. Cardinales Tamburinum Sac. Congregationis Praefectum, Gallum Cauſae Relatorem, necnon R. P. Benedictum Veterani Promotorem Fidei, meque Secretarium, & Decretum hujuſmodi edi, & inter Acta Sac. Congregationis referri mandavit, nempe Conſtare de virtutibus Ven. Servi Dei GREGORII BARBADICI Cardinalis, & Epiſcopi Patavini in gradu heroico in caſu, & ad effectum, de quo agitur. *Hac die* 8. *Februarii* 1759.

D. F. Cardinalis Tamburinus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rituum Congregationis Secretarius.

Adprobatis virtutibus,Miraculorum examen, judiciumque inſtitutum eſt, eorum videlicet quae Gregorii ope, ejuſque interceſſione poſtquam is e vivis exceſſit a D. O. M. patrata ſunt. Quapropter in Congregatione antepraeparatoria coacta die 26. Februarii Anni MDCCLX., ac deinde altera praeparatoria habita die 2. Septembris ejuſdem anni quaeſitum, ac diſceptatum eſt: *An*, & *de quibus Miraculis conſtet in caſu*, & *ad effectum, de quo agitur*: Duo autem, quae mox indicabimus, e quatuor propoſitis atque diſcuſſis, tanquam certa, atque

atque indubitata miracula unanimi Patrum ſententia judicata ſunt. In generali demum Congregatione coram Sanctitate ſua convocata die 10. Januarii MDCCLXI. inſtaurato eorumdem miraculorum examine, pleno ſuffragantium non tam conſenſu quam plauſu eadem miracula adprobata ſunt. Religioſum tamen ducens Sanctiſs. Pontifex rem maturius perpendere, & pro cauſae gravitate uberius a Deo lumen poſcere, ac praeſtolari, mentem ſuam declarare diſtulit ad diem octavam Februarii proxime inſequentis, in qua decretum hoc tulit, ac promulgari mandavit.



DE-

Digitized by Google

DECRETUM.

VENETA, SEU PATAVINA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Bergomenſis, poſtea Patavini,

SUPER DUBIO

An, & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

Mirabilis in Sanctis Deus, & inquirentibus ſe remunerator cum Sanctitatem fidelis Servi Sui GREGORII CARDINALIS BARBADICI *confirmare dignatus fuerit miraculis poſt ipſius obitum ad ejuſdem interceſſionem patratis; hinc poſtquam Sanctiſſimus D. noſter* CLEMENS PP. XIII., *ſervatis de more ſervandis, dicti Ven. Servi Dei heroicas virtutes approbavit ſolemni edito Decreto* die 8. Februarii anni 1759., *inſtitutum fuit eorumdem miraculorum examen in Congregationibus primum Antepraeparatoria, & Praeparatoria habitis* diebus 26. Februarii, & 2. Septembris anni 1760., *& deinde in Congregatione Generali coram eodem SS. D. N. coacta* die 20. *mox elapſi menſis Januarii: in qua a Reverendiſs. Cardinali Galli Cauſae Relatore propoſito dubio*,, An & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur,, *licet ſuffragia Reverendiſſimorum Cardinalium, necnon Conſultorum con-*

concordia fuerint in Miraculo adſcribendis duabus ſanationibus interceſſione dicti Servi Dei ſecutis, primo, & tertio loco a Poſtulatoribns propoſitis; nihilo tamen minus Sanctitas Sua judicii declarationem tunc diſtulit, ut in graviſſimo hoc negocio tam ſuis, quam aliorum precibus opem a Deo imploraret, & Divino lumine mens ejus illuſtraretur.

Hac vero die, in qua Dominicae primae Quadrageſimae ſolemnia recoluntur, eadem Sanctitas Sua poſt peractum Sacroſanctum Miſſae Sacrificium, accitis coram ſe Reverendiſsimis Cardinalibus Gallo Cauſae Relatore, & Tamburino Sac Rituum Congregationis Praefecto, necnon R. P. D. Cajetano Forti Fidei Promotore, meque infraſcripto Secretario, Divino iterum implorato praeſidio, decrevit: ex quatuor Miraculis, quae propoſita fuerunt tamquam a Deo patrata interceſſione dicti Servi Dei, conſtare de duobus in tertio genere, *nimirum de primo*, inſtantaneae *ſcilicet*, & perfectae Sanationis Sororis Nicolosae Cinetti Monialis Converſae in Monaſterio S. Annae Patavii Ordinis S. Benedicti a lethali vulnere capiti inflicto a ſaxo eximiae magnitudinis e faſtigio turris campanariae delapſo: *& de tertio, nempe* Inſtantaneae & perfectae Sanationis puellae Luciae Caſotto ab inveterata Gangraena, quae dexterum ejus brachium a cubitu ad humerum exederat, eamque ad ultimum vitae diſcri-

diſcrimen adduxerat, *in caſu, & ad effectum, de quo agitur*.

Et hujuſmodi Decretum in Acta Sac. Rituum Congregationis referri, & publicari mandavit. Hac die 3. Februarii Anni 1761.

D. F. Cardinalis Tamburinus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

F. M. de Lerma Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

His rite abſolutis, nihil jam reliquum eſſe videbatur, ut Beatorum faſtis Gregorius adjungeretur. Sed veteris diſciplinae retinendae cauſa Sanctiſs. Pontifex diſcuti voluit: *An ſtante approbatione virtutum, & duorum miraculorum tuto deveniri poſset ad ipſius Ven. Servi Dei Beatificationem?* Cui quidem dubio coram ſe propoſito in generali Sacrorum Rituum Congregatione die 7. Julii MDCCLXI., cum ſuffragiis omnibus reſponſum fuerit: *Poſse a Sanctitate ſua tuto procedi*, ipſa anniverſaria coronationis ſuae die 16. Julii 1761. ſequens tulit

DE-

Digitized by Google

DECRETUM.

VENETA, SEU PATAVINA

Beatificationis, ſeu Canonizationis Ven. Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi prius Bergomenſis, poſtea Patavini

SUPER DUBIO

An; ſtante approbatione duorum Miraculorum, tuto procedi poſſit ad ſolemnem ipſius Ven. Servi Dei Beatificationem.

P*Oſtquam Ven. Dei Servus Gregorius Cardinalis Barbadicus diſſolutis corporei carceris vinculis, ad coeleſtem Patriam evolavit, maxima ſanctimoniae fama, plures inſtructi fuerunt Proceſſus authoritate primum ordinaria, deindeque Apoſtolica ſuper illius Sanctitate, Virtutibus, & Miraculis. Cumque poſtmodum, iis omnibus diligenter perpenſis, quae ex praeſcripto Apoſtolicae Sedis in arduo Beatificationis Judicio accurate diſcutienda erant, propoſitum fuerit examen heroicarum Virtutum ejuſdem Servi Dei in Congregationibus Antepraeparatoria, Praeparatoria, & demum Generali habita coram Sanctiſſimo D. N.* CLEMENTE PAPA XIII. die 30. Januarii 1759., *eadem Sanctitas Sua* die 8. Februarii ejuſdem anni, *qua B. Hieronymi Aemiliani Ven. Gregorii Concivis ſolemnis Commemoratio agebatur, declaravit* „ Conſtare de virtutibus

Theologalibus, & Cardinalibus, aliiſque adnexis in gradu heroico, in caſu, & ad effectum &c.„ *In earumdem autem virtutum examine dilucide ex actis conſtitit, quam egregia Evangelicae perfectionis ſpecimina ediderit in vinea Domini bonus hic Paſtor ſemper excubans, ſemper operoſus, & diu noctuque cuſtodiens vigilias ſuper Gregem ſuum.* **Fuit in eo** *humanarum rerum admirabilis contemptus, mira prorſus, & inexplebilis ad pauperes fovendos, alendoſque caritas, ardentiſſimum Divini honoris, ac Religionis propagandae ſtudium, in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in pravis moribus extirpandis aſsidua vigilantia, in Epiſcopalis Cathedrae auctoritate, juribuſque tuendis robur invictum. Dioeceſim literis, ac pietate excultam voluit, quam magnis licet incommodis, ſuaeque valetudinis diſpendio, frequenter inviſere ſolebat, praedicans ubique verbum Dei, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia, & doctrina: ſeque ſemper exhibuit perfectum, ſanctumque, qualem decet eſſe Epiſcopum, & ſanctiſſimi Mediolanenſis Antiſtitis Caroli Borromaei, quem ſibi ad imitandum propoſuerat, imaginem ad vivum in ſe expreſſit.*

Cum tantam vero Sanctitatem confirmatam voluerit Omnipotens poſt ejus obitum teſtimonio miraculorum, eorum examen, praemiſſis Congregationibus Antepraeparatoria, & Praeparatoria, propoſitum fuit

fuit die 20. Januarii praeſentis anni 1761. in Congregatione generali habita coram Sanctitate Sua, quae die 8. ſequentis menſis Februarii, in qua Dominicae primae Quadrageſimae ſolemnia recolebantur, duo ex illis in tertio genere approbavit, videlicet primum: Inſtantanae, & perfectae Sanationis Nicoloſae Cinetti Monialis Converſae in Monaſterio S. Annae Patavii Ordinis S. Benedicti a lethali vulnere capiti inflicto a ſaxo eximiae magnitudinis e faſtigio turris campanariae delapſo: *Et tertium nempe*: Inſtantaneae & perfectae Sanationis puellae Luciae Caſotto ab inveterata Gangraena, quae ad dexterum ejus brachium a cubitu ad humerum exederat, eamque ad ultimum vitae diſcrimen adduxerat.

Tandem in Congregatione generali coacta coram Sanctitate ſua die 7. praeſentis menſis Julii propoſito per Reverendiſſimum Cardinalem Galli Cauſae Relatorem dubio,, An ſtante approbatione duorum Miraculorum tuto procedi poſſit ad ſolemnem ipſius Ven. Servi Dei Beatificationem,, licet omnes unanimi ſenſu affirmative reſcribendum cenſuerint, attamen Sanctitas Sua, Reſponſo tunc dilato ad divinam opem in tam difficili judicio diuturnis precibus implorandam, hac die Anniverſaria Coronationis Suae, poſt oblatum Sacroſanctum Miſſae Sacrificium accitis coram ſe Reverendiſſimis Cardinalibus Galli Cauſae Relatore, Spi-

nelli Epiſcopo Hoſtienſi, ac Sac. Collegii Decano, & Torregiani, necnon R. P. D. Cajetano Forti Fidei Promotore (ſi quid ulterius haberet opponendum) meque infraſcripto Secretario, ad majorem Dei gloriam, & Eccleſiae quidem univerſae praeſertim, tum Ordinis Epiſcopalis, quem tanta cum laude Servus Dei profeſſus eſt, tum dignitatis Cardinalitiae, cujus decus fuit, & ornamentum, praeſens Decretum Beatificationis Ven. GREGORII CARDINALIS BARBADICI *per literas in forma Brevis, & conſuetis cum Indultis ſolemni ritu celebrandae in Baſilica Vaticana die in iiſdem literis deſignata, expediri, & publicari mandavit. Hac die decimaſexta Julii* 1761.

D. F. Cardinalis Tamburinus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

F. M. de Lerma Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

ACademiae Patavinae Theologorum de Gregorio teſtimonium. 94.
Acciajolus Cardinalis Gregorii ſanctitatem teſtatur. 242.
Aguirre Cardinalis Gregorium amore proſequitur. 242.
Albanus, Jo. Franciſcus Cardinalis, Gregorium colit. 242
Alcorani editio cum confutatione Ludovici Maraccii. 72
Alexander VII. Pontifex creatus. 13. Gregorium Romam arceſſit, & dignitatibus auget. *ibid.* Epiſcopum eum Bergomenſem renunciat. 16. Deinde S. R. E. Cardinalem creat. 50. Eumque ad Eccleſiam Patavinam transfert. 57. Quanti eum fecerit? 243.
Aſceticus locus in Seminario Patavino. 74.

B.

BAndini, Coſmae, de Nigronii Cardinalis in Gregorium cultu teſtimonium. 242.
Barbadica gens patricia apud Venetos. 1. Ejus elogium. 176.
Barbadicus, Gregorius. *Vid.* Gregorius.
Barbadicus, Antonius Senator, Gregorii frater. 173. Procurator S. Marci. 176.
Barbadicus, Jo. Franciſcus, pater Gregorii 2. Mortua uxore, viduitatem ſancte colit. Ejus laudes. *ibid.* Filios pie inſtituit. 3. Praeſertim Gregorium. 4. Carmelitas, & Camaldulenſes ſtudio multo fovet. 8. *& ſeq.* Ædes Gregorii ornamentis inſtruit. 170. eique monitum dat. 171.
Barbadicus, Jo. Franciſcus Junior, Gregorii ex fratre nepos. 176. Epiſcopus primum Verononſis, dein Brixienſis, & Cardinalis, tandem Patavinus Epiſcopus. 177.
Barbadicus, M. A. Cardinalis de ſanctitate Gregorii juratus teſtis. 242.
Baronii, Spondani, & Saliani annales a Gregorio perlecti. 263.
Benedictus XIII. *Vid.* Urſinus. Decretum Sacr. Congr. Rituum

tuum *De non cultu Gregorii* confirmat. 287.
Bragadinus Cardinalis Gregorium Epiſcopum inungit. 17.
Bullionii, Cardinalis, de Gregorii ſanctitate illuſtre teſtimonium. 272. *& ſeq.*

C.

Capituli Cathedralis Bergomenſis de Gregorio teſtimonium. 53. & 54.
Capituli Eccleſiae Patavinae de Gregorio teſtimonium. 272.
S. Caroli Borromaei imitator Gregorius. 18. & 20. Ejus juſſu editum libellum, iterum vulgat. 96. Eum praecipue colit. 132.
Charitas Gregorii in Deum. 143. *& ſeqq.* In propinquos. 173. In familiares. 177. Et in adverſarios, ſibique infenſos. 180.
Caſtitas Gregorii. 219. *& ſeq.*
Chiſius, Fabius, Pontificis Legatus ad tractum Rheni. 6. Gregorium amore complectitur; eique doctrinae pietatiſque documenta tradit. *ibid. & ſeq.* Cardinalis creatur. 9. Juriſprudentiae & hiſtoriae Eccleſ. Gregorium operam dare jubet. 10. *Vid.* Alexander VII.
Chiſii junioris, Fabii Cardinalis, ſtudia in Gregorium. 112. Literas ab eo accipit. 184.
Clemens XI. P. M. a Regibus & Principibus pro Canonizatione Gregorii ſupplicatur. 286.
Clementis XIII. Decretum conſtare de virtutibus Gregorii. 291. Aliud conſtare de duobus Miraculis. 294. Decretum Beatificat. 297.
Clericatus, Johannes, deciſiones vulgat Cleri Patavini. 88.
Cloche, Antonius, Ord. Praedic. Magiſter Gen. Gregorii amicus. 265.
Collegium Nobilium Seminario Patavino a Gregorio additum. 76.
Collegium Nobilium ad S. Mariae de Treſto a Gregorio erectum. 76.
Colloredus, Leander Cardinalis. 35. Ejus in Gregorium veneratio. 242. Illius ſanctitatis teſtis juratus. *ibid.*
Collovitzii, Cardinalis, Hungariae Primatis de Gregorio teſtimonium. 109.
Colonitzius Cardinalis Gregorium honorat. 242.
Columna, Federicus Cardinalis, Gregorium promovere ad Pontificatum ſatagit. 111.
Congregatio Conc. Tridentini interpretum a Gregorio frequen-

quentata. 264.
Congregatio Sac. Rituum. *Vid.* Rituum Sac. Congregatio.
Conſtantia, & fortitudo Gregorii. 207. *& ſeqq.* a Coſimo III. admirata. 211.
Contarenus, Aloyſius, Venetorum Orator ad Conventum Monaſterienſem Gregorium comitem ſibi jungit. 5.
Cornelii, Georgii, Epiſcopi Patavini obitus. 57.
Cornelius, Georgius junior, Cardinalis, S. Thomae Summam a Gregorio edi coeptam, vulgat. 71.
Corpus Gregorii poſt 28. annos incorruptum. 288.
Coſimus III. Magn. Dux Etruriae celſitudinem animi Gregorii admiratur. 211. *&* 239. *& ſeq.*
Criſpinus Amerinorum Epiſcopus Gregorium laudibus effert. 247.

D.

DOſithei ab Angelis Carmelitae de Gregorii in Deum charitate teſtimonium. 147. Ejus animam exeuntem Deo commendat. 252.

E.

EPiſcopalis Curia ab externis melius, quam ab indigenis adminiſtratur. 202. *& ſeq.*
Erculani, Hieronymus, Ord. Praedicat. Gregorium innocentiſſimam animam appellat. 11. In Theologicis diſciplinis inſtruit. 262. Ejus amicus. 265.
Etraeus Cardinalis Gregorium honorare ſtudet. 242.

F.

FAbri, Jo. Baptiſtae, Plebani S. Lucae, de Gregorio propheticum dictum. 9.
Facundia Gregorii. 265.
Fama de Gregorii ſanctitate, dum viveret. 236. *& ſeqq.* Poſt obitum. 266. *& ſeqq.*
Ferratii, M. Antonii, de Gregorio teſtimonium. 260.
Fides Gregorii, ejuſque tuendae & propagandae ſtudium. 116. *& ſeqq.*
S. Franciſcus Saleſius dux, & vitae magiſter a Gregorio eligitur. 7. Ac in deliciis habetur. 131. *& ſeq.*
Franciſcus Eſtenſis Mutinenſium Dux, Gallici exercitus ductor. 100.

G.

GEnevenſis cujuſdam de ſanctitate Gregorii teſtimo-

monium. 238. & ſeq.
Giuſſani, Petri, libellus juſſu S. Caroli Borromaei editus, a Gregorio iterum vulgatus. 90.
Grandius, Ordinis Praedicatorum, Gregorii amicus. 265
Gratianus hiſtoricus Gregorium laudat. 247.
B. Gregorii ortus, patria, parentes. 2. A patre pie inſtitutus: Ejus pueritia, geſtaque ſupra aetatem. 3. Religio, ingenium, judicium, memoria, obſervantia in patrem. 4. & ſeq Philoſophiae operam dat. 4. Item Geometriae. 5. Adoleſcentia; Cum Aloyſio Contareno Oratore Veneto Monaſterium pergit; ibique Commentaria, vulgo *Memorie*, ſcribit. 5. Ejus cum Fabio Chiſio neceſſitudo. 6. Cujus ſuaſione Franciſcum Saleſium ſibi ducem conſtituit, & imitandum proponit. 7. Itinera: Pariſiis 4. menſibus verſatur: gratiam init apud Ludovicum XIV. Regem. *ibid.* Hujus de Gregorio judicium. 8. In patriam reverſus inter Sapientes Ordinum adnumeratur; In religioſum ordinem ſe recipere meditatur. *ibid.* Jo. Baptiſtam Fabri conſulit, aliumque religioſum virum; Jo. Bapt. de eo propheticum reſponſum. 9. Chiſium ad Pontificatum evectum Romae viſit, ejuſque ſuaſu Juriſprudentiae, & hiſtoriae Eccleſiaſticae operam dat. 10. Itemque Theologiae & hiſtoriae ſacrae. 11. Patavii in pietate, & ſtudiis proficit, 10. & ſeq. Conſuetudo cum Hier. Erculani Ord. Praedicator. 11. Abjecta toga, Eccleſiae nomen dat; a Tonſura ad Presbyteratum adſcendit, & in utroque Jure conſequitur Doctoratum: Vita poſt Sacerdotium adeptum. 12. Romam ab Alex. VII. accerſitus, primumque Canonicus Patavinus, deinde Signaturae Referendarius & Praeſul domeſticus renunciatur. 13. Tranſtiberinae regioni peſtis tempore praeficitur. 14 In aegrotos charitas in diſcrimen eum ſalutis adducit. 15. Bergomenſis Epiſcopus renunciatur. 16. A Card. Bragadino vix conſecratus ſuam adit Eccleſiam. 17. Carolum Borromaeum in Epiſcopatu imitari conatur. 18. & 20. Aliorum mores reformaturus, a ſe primum, deinde a domeſticis auſpicatur. 20. & 21. Inita regendae domus ratio. 21.

21. & 22. Et Eccleſ. 23. Cleri diſciplinam reſtituit. *ibid. & plur. ſeqq.* Otium,& inertiam a Clericis eliminat. 24. Seminarium Clericorum reditibus & magiſtris auget. 25. Aliud erigere meditatur. 26. Exercitationes ſpirituales primus Bergomi inſtituit. 29. Catechiſmum promovet, Sodalitia erigit. 32. Scholas frequentat. 33. Concionibus vacat ſacris. 34. 35. Poenitentiae Oratorium erigit. 36 Viſitationem inſtituit; methodus ab eo ſervata. 37. *& ſeqq.* Labores initi. 40. Diei horas partitur. 41. Pelaginorum ſectam exterminat 45. *& plur. ſeqq.* S. R. E. Cardinalis renunciatur ab Alex. VII. 50. Romae purpureum galerum ſuſcipit. 51. Synodum dioeceſanam cogit. 52. Ad Patavinam transfertur Eccleſiam. 57. Novum onus fruſtra a ſe avertere ſatagit. 58. Ejus Eccleſiae procurationem init. 63. Nova conſilia in ejus adminiſtratione. *ibid. & plur. ſeqq.* Viſitationem inſtituit. 66. Seminarium aedibus, reditibus, ſcholis, piiſque auget inſtitutis. 68. Magiſtros undique advocat. 69. Linguas Orientales doceri curat, *ibid.* Nec non Matheſim, utrumque Jus, & Eccleſiae Hiſtoriam. 70. Lex Theologiae profeſſoribus ab eo indicta. *ibid.* Summam D. Thomae cum Comment. Cajetani & Caponi edi curat; Seminarii Bibliothecam auget. 71. Typographiam in ea erigit, characteribuſque Orientalibus auget; Alcorani editio cum confutatione ibi edita. 72. Alumnorum ſtudia promovet. 72. *& ſeqq.* Locum aſceticum in Seminario erigit. 74 Collegium Nobilium ei adjungit; novumque Collegium in S. Mariae de Treſto erigit. 76. Cura in Clericis initiandis. 77. 78. Ac in deſignandis Eccleſiae Miniſtris. 79. *& ſeqq.* Ethicae Chriſtianae puritatem inculcat. 82. *& ſeqq.* Congregationes varias inſtituit. 85. Et Patrum familias conventum. 89. Petri Giuſſani libellum S. Caroli Borromaei juſſu editum, recudendum curat. 90. Populi mores componit. 91. Literae ad Cardd. Conc. Trid. Interpretes. 92. Scholas mirum in modum auget. 93. Concionum argumenta proponit. 95. Paleotti Cardinalis librum de Sac. Concionibus edi curat. 96. Paſtorales Epi-

Epiſtolas dat ad gregem ſuum. 97. Monialium reſtituit diſciplinam. 98. *& ſeqq.* Earum Monaſterium in urbem Bergomenſem transfert. 99. Trevillii Moniales benigne excipit. 100. Quater Romam ſe confert eligendi Pontificis cauſa. 105. Supremam dignitatem a ſe amovet. 106. Bis Summus expetitur Pontifex. 106. Ab Innocentio XI. in Urbe retinetur. 108. Ut ſe geſſerit in Comitiis poſt obitum Alexandri VIII. quo Pontificatum defugeret. 109. *& plur. ſeqq.* Mira ejus conſtantia. 112. A Cardinale de Polinico teſtata, & a Bened. XIV. 113. Virtutes. 115. Fides. 116. Ejus tuendae & propagandae ſtudium. 117. Ut ſe geſſerit in gravi tentatione? 118. *& ſeq.* Infidelium converſionem curat. 122. *& ſeq.* Tipaldo Meletio utitur in Schiſmaticis revocandis. 123 *& ſeq.* In procuranda Haereticorum converſione ſtudia. 124. *& ſeq.* Religionis cultus. 126. *& plur. ſeqq.* Libellum Caeremoniarum Miſſae vulgat. 128. B. Virgini addictiſſimus. 130. Carolum Borromaeum, Franciſcum Saleſium, Philippum Nerium colit. 131. *& ſeq.* Feſtorum dierum ſanctificationi invigilat. 113. Ac aedium ſacrarum nitori, & cultui. 134. *& ſeq.* Spes & fiducia in Deum. 136. *& ſeqq.* Charitas in eundem. 143. *& ſeqq.* Ab Andrea Trono, & Doſitheo ab Angelis teſtata. 147. Orandi & contemplandi ſtudium. 150. *& plur. ſeqq.* Paſtoralis ſolicitudo. 157. *& ſeqq.* Cujus exemplum adducitur inſigne. 160. Profuſa in pauperes liberalitas. 164. *& plur. ſeqq.* In id maximam auri vim profundit. 169. Curarum, ac palatii ornamenta diſtrahit. 170. Pallium pauperi donat. 171. Charitas in propinquos. 173. *& ſeqq.* Et in familiares. 177. Ac in adverſarios, ſibique infenſos. 180. *& ſeqq.* Illuſtre exemplum. 183. Alterum. 184. *& ſeq.* Multis profuit Gregorium laeſiſſe. 186. Lenitas, & manſuetudo. 187. *& ſeqq.* Exemplum patientiae. 188. *& ſeq.* Alia. 190. *& ſeqq.* Prudentia tam in ſuis, quam in Eccleſiae rebus. 193. *& ſeqq.* Regulae, quas ſibi praeſcripſit. 195. *& ſeq.* Molinoſium averſatur. 199. *& ſeq.* De graviſſimis rebus ab Innocentio XI. & XII. conſultus.

Digitized by Google

tus.200. Laicorum Magiſtratuum offenſionem non incurrit. 201. Juſtitiae zelus 202. & ſeqq. Externos indigenis praefert in Curia Epiſcopali. 202. Nec aliena admittit officia, nec ſua in electione Sacror. Miniſtrorum interponit. 206. Firmitas animi, & fortitudo. 207. & ſeqq. Temperantia, & vitae aſperitas. 213. & ſeqq. Jejunandi ratio. 214. & ſeqq. Poenitentiae. 218. Caſtimonia. 219. & ſeq. Humilitas. 221. & ſeqq. Purpuratis pueris orphanotrophii Veneti ſe aſſimilat. 223. De ſe abjecte ſentit. 223. & ſeq. Humanas laudes averſatur. 226. Prophetiae dono maxime enituit in revelandis futuris, occultis, vel remotis. a 228. ad 232. Miracula. 233. & ſeqq. Exiſtimatio dum viveret. 236. Etiam apud ſummos Principes. 239. Praefertim Coſimum III. *ibid.* & ſeq. Et apud Cardinales. 242. Ac ſummos Pontifices. 243. & ſeqq. Et eruditos viros. 246. & ſeq. Obitus. 248. & ſeqq. Quem Gualterio Laeto praenunciat. 249. Timor, ſubinde fiducia in Deum. 251. Luctus omnium ob ejus tranſitum. 253. & ſeq. Teſtamentum. 255. & ſeq. Oratio funebris. 257. Tumulatio, & inſcriptio. *ibid.* Corporis habitus & forma. 258. Animi indoles, ingenium, doctrina. 259. & ſeqq. In viros religioſos propenſus. 266. Sanctitatis fama, & exiſtimatio poſt obitum. 266. & ſeqq. A multis, praeſertim a Cardinale Bullionio teſtata. 272. & ſeq. Miracula poſt mortem. a 273. ad 283. Virtutes imitandae; praeclara geſta miranda. 284. & ſeq. Proceſſus ordinarii Bergomi, & Patavii de ejus ſanctitate fiunt. 285. & ſeq. Item Romae, Venetiis, Florentiae, Mediolani, Mutinae, ac Beneventi. 286. Preces Principum ad Clementem XI. P. M pro ejus Canonizatione. *ibid.* Scripta examini tradita, & approbata, cum decreto *Nihil obſtare. ibid.* Cauſae commiſſio. *ibid.* Decretum de cultu ei non exhibito a Bened. XIII. confirmatum. *ibid.* Corporis translatio coram Jo. Franc. Card. Barbadico. 287. & ſeq. Corpus incorruptum repertum. 288. Proceſſus Apoſtolicus Romae inſtructus *ſuper fama Sanctitatis in genere* in Congr. Rituum referatur. 289. Proceſſus Apoſtolici in

Digitized by Google

ſpecie Patavii, ac Venetiis inſtituti ab eadem Congreg. adprobantur. *ibid.* Epiſtolae examinantur. 290. Sacr. Congr. Decretum conſtare de virtutibus. 291. Miraculorum examen. 297. Duo ex iiſdem adprobantur. 293. Decretum poſſe tuto procedi. 296. Decretum Beatificationis. 297.

Grimanus, Aloyſius, Gregorii praedeceſſor in Bergomenſi Epiſcopatu. 19.

Guillelmus Neoburgenſis Elector Palatinus Rheni. 239.

H.

HUmilitas Gregorii. 221. *& ſeqq.*

JAcobus a S. Pelagia, a quo Pelaginorum ſecta. *Vid.* Pelagini. 45.

Jacobus II. Angliae Rex Gregorium Pontificem fieri expetit. 111. Catholicam Religionem in Anglia reſtituit. 124.

Jacobetti, Jacobi, Ethicae Profeſſoris, de Gregorii Fide teſtimonium. 118. *& ſeqq.*

Jejunandi ratio Gregorii. 214. *& ſeq.*

Innocentius XI. Barbadicum in Urbe retinet. 108. Eum conſulit in rebus graviſſimis. 200. Quanti Gregorium fecerit? 243. *& ſeq.* Novos Epiſcopos Patavium inſtruendos mittit. 244.

Innocentius XII. *Vid.* Pignatellus Antonius.

Innocentius XIII. ſignat commiſſionem Cauſae Beatificationis Gregorii. 287.

Inſcriptio ſepulchralis Gregorii. 257. Alia. 289.

Juſtitiae virtus in Gregorio eminuit. 202. *& ſeqq.*

L.

LAmbertus Epiſcopus Eporedienſis eloquentiam Gregorii admiratur. 35.

Leonia, Lucretia, mater Gregorii. 2.

Liberalitas Gregorii in pauperes. 164. *& ſeqq.* In id maximam auri vim is profundit. 169. Currum, & Palatii ornamenta pluries diſtrahit. 170.

Linguae Orientales, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Arabica, Turcica, & Perſica in Seminario Patavino Gregorii cura coluntur. 69.

Ludovici XIV. Galliarum Regis de Barbadico judicium. 8.

Mabil-

M.

Mabillonius, Joannes, Gregorium laudat. 247. 265. & 269.

Manſuetudo Gregorii. 187. & ſeqq.

B. Mariae Virgini Gregorius addictiſſimus. 130.

Maraccius, Ludovicus, Alcoranum a ſe verſum, & confutatum edit. 72.

Marcheſius, P., Gregorii amicus. 265.

Memoria Gregorii tenax. 265.

Menſae Gregorianae titulo ſacris Ordinibus initiati qui fuerint? 85.

Montfauconius Gregorium laudat. 247.

Miracula a Gregorio patrata dum viveret. 253. & ſeqq. Poſt mortem. a 273. ad 283. Card. Urſini teſtimonium. 280. & ſeq. Eorum duo a Sac. Cong. Rit. adprobata. 294.

Mocenicus, Aloyſius, Praetor Bergomenſis. 46.

Molinoſius Michael Quietiſticae ſectae auctor. 120. A Gregorio repulſus. 200.

Monaſterium Monialium S. Benedicti Bergomum a Gregorio translatum. 99.

Monaſterium urbs Weſtphaliae: in eo Conventus habetur ad pacem conciliandam. 5.

Muſocco, Joſephus, Gregorii laudes pro concione dicit. 257.

N.

Nanius, Baptiſta, Gregorium laudat. 247.

Nigronius, Cardinalis, Gregorii ſanctitatem teſtatur. 242. 246. & ſeq. 280. & ſeqq.

Noriſius, Henr. Cardinalis, Gregorium aeſtimat. 242. De ejus ſanctitate teſtificatur. 246. & 265.

O.

Obitus Gregorii. 248. & ſeqq. Ab ipſo praenunciatus. 249.

Oblatorum Congregatio Patavii. 89.

Odeſcalchus, Benedictus Cardinalis, Summus Pontifex electus Barbadicum Romae retinet. 108. *Vid.* Innoc. XI.

Olivae, Jo. Pauli, Pontifici a concionibus ad Gregorium literae. 58. 59. Amicitia cum eo. 265.

Oratio funebris in Gregorii morte a Joſepho Muſocco recitata. 257.

Otthobonus, Petrus Cardinalis, Epiſcopus Brixienſis Pelagianos inſectatur. 45.

Pal-

P.

PAllavicini, Sfortiae, Cardinalis, de Gregorii ſanctitate teſtimonium. 246. Amicitia inter eos. 265.
Paleotti, Gabrielis Cardinalis, libellus de ſacris Concionibus editus typis Seminarii Patavini. 96.
Parochorum Bergomenſium teſtimonium de Gregorio. 54. *&* *ſeqq.*
Paſtorales epiſtolae Gregorii ad Gregem ſuum. 97. *&* 264
Paſtoralis ſolicitudo Gregorii. 156. *&* *ſeqq.*
Patavinae Eccleſiae ſtatus. 61. 62. Ei Gregorius praeficitur. 57.
Patientia Gregorii. 188. *&* *ſeq.* 215.
Paulutius Canonicus Patavinus Gregorio infenſus, ejus comendatione Auditor Rotae deſignatur. 183. *&* *ſeq.*
Pelagini ab Eccleſia Bergomenſi Gregorii cura exterminantur. 45. *&* *ſeqq.*
Peſtis Romae. 14. Bergomi. 18.
Petavii, Dionyſii Soc. Jeſu, librum de Doctrina temporum Gregorius legit. 264.
Philothea, S. Franciſci Saleſii opus, Gregorio in deliciis. 7.
Pignatellus, Antonius Cardinalis, Pontifex eligitur, Innocentii XII. nomine adſcito. 113. Gregorium de rebus graviſſimis conſulit. 200
Prioli, Petri Cardinalis, de Gregorio teſtimonium. 53.
Preces Regum, & Principum ad Clementem XI. P. M. pro Gregorii Canonizatione 286
Proceſſus ordinarii de Gregorii ſanctitate Bergomi, & Patavii fiunt. 285. Item Romae, Venetiis, Florentiae, Mediolani, Mutinae, ac Beneventi. 286.
Proceſſus Apoſtolicus Romae inſtructus *ſuper fama ſanctitatis Gregorii in genere* in Congr. Rituum referatur: 289. Proceſſus Apoſtolici in ſpecie Patavii, Bergomi, ac Venetiis inſtructi ab eadem Congr. adprobantur. *ibid.*
Prophetiae donum, quo enituit Gregorius. 228. *&* *ſeqq.*
Prudentia Gregorii eximia. 193. *&* *ſeqq.* Pontificibus Innoc. XI. & XII. utilis. 200. A Magiſtratibus Laicis commendata. 201.

R.

RAynaldus Eſtenſis Mutinenſium Dux. 239.
Raynaldus, Odoricus, Gregorii amicus. 265.
Riccius, Michael Angelus Car-

Cardinalis, Gregorium ad Philoſophiae, & Matheſis ſtudium accendit. 251.
Rituum ſacrorum Congregatio Proceſſus pro Canonizatione Gregorii refert. 286. Ejus Decretum *Nihil obſtare.* 287. Aliud Decretum *De cultu Servo Dei non exhibito* a Benedicto XIII. confirmatum. *ibid.* Aliud Decretum conſtare de virtutibus a Clemente XIII. adprobatum. 291. Duo ejuſdem miracula adprobat. 293. Decretum poſſe tuto procedi. 296. Decretum Beatificationis juſſu Clementis XIII. emanatum. 297.
Rivoli, Fr. Vincentius Maria, Ord. Praedicat. Fidei Quaeſitor. 46.

S.

Salazarius Cardinalis ſummo Gregorium honore proſequitur. 242.
Salomonius, Ord. Praedicat. Gregorii amicus. 265.
Scaligeri, Joſephi, libros Gregorius legit. 264.
Segnerius, Paulus Soc. Jeſu, Gregorii amicus. 265.
Seminarium Bergomenſe a Gregorio auctum. 25.
Seminarium Patavinum. 67. A Gregorio aedibus amplificatum, ac magnis beneficiis auctum. 68. *& ſeqq.* Ejus elogium. 76.
Socinus, Marianus, Gregorii amicus. 265.
Spes, & fiducia in Deum Gregorii. 136. *& ſeqq.*

T.

Temperantia Gregorii. 213
Teſtamentum Gregorii. 255. *& ſeq.*
Teſtorius, P. Jo. Hieronymus, Caſſinenſis. 142.
Theologi Academiae Patavinae. *Vid. Acad. Patavin.*
S. Thomae doctrina in Seminario Patavino ſequenda a Gregorio praecipitur. 70. *& ſeq.* Ejus Summa cum Cajetani, & Caponii Commentariis edita. 71. Summae loca Gregorius prae digitis habet. 263.
Timor Gregorii in extremo agone, deinde Fiducia in Deum. 251.
Tipaldus Meletius Archiepiſcopus. 123. *& ſeq.*
Translatio Corporis B. Gregorii. 287. *& ſeqq.*
Trevillii Moniales a Gregorio benigne exceptae. 100.
Trono, Andreae, Ord. Praedic. de Gregorii charitate in Deum teſtimonium. 147.

Val-

V.

VAllis tellina Rhaetorum Provincia. 31.
Virtutes Gregorii. 115.
Virtutes magis quam miracula Gregorii ſanctitatem commendant. 283.
Viviani, Vincentii, illuſtre de Gregorii doctrina teſtimonium. 261.
Urſinus, Fr. Vinc. Maria Cardinalis, Gregorium veneratur. 242. *& ſeq.* Ejus ſanctitatem teſtatur. 243. 270. *& ſeq. Vid.* Bened. XIII.

Z.


ZOndedarius Cardinalis cauſae Canonizationis Gregorii Relator ſcripta ejus tradit cenſuranda. 286. *& ſeq.*





A.R. deli. *I.B.S. scul.*

Digitized by Google

Digitized by Google







Digitized by Google